246.731
C986

MEDITATIONES

BREVISSIMAE

IN USUM

SACERDOTUM, RELIGIOSORUM, MISSIONARIORUM

ITER AGENTIUM, ETC.

IN TOTUM ANNUM DISTRIBUTAE

A P. MICHAELE CUVELHIER

SOCIETATIS JESU

ALMA COLL
246.73
LIBRARY
C986
Alma, Calif

Reimpressio stereotypa
(22um Mille).

TAURINI - ROMAE
Ex Officina MARIETTI, anno 1820 condita
nunc MARII E. MARIETTI S. Sedis Ap., S. RR. Congr.
et Archiep. Taurin. Typographi

1926

48143

V. nihil obstat.

Taurini, 4 Maji 1926.

Theol. CAROLUS MARITANO, *Rev. Del.*

Imprimatur.

C. FRANCESCUS DUVINA, *Prov. Gen.*

(14-v-26-30)

LECTORI

MEDITATIONES BREVISSIMAE quas prae manibus habes, amice Lector, eae sunt quae, judicio virorum prudentum, sub cortice paucorum verborum magnam suppeditent meditandi materiam. Eas sibi collegerat P. Michaël Cuvelhier, S. J., ut annonam quandam, uti ipse ait, pararet sibi itineribus et negotiis plurimis occupato. Quum vero et nostris temporibus Sacerdotes saepenumero et Missionarii iisdem premantur angustiis tum temporis, tum annonae, visum est non exiguae utilitatis futurum si quod ipse paraverat sibi, illud ipsum iisdem offerretur. Qua de causa hanc editionem exhibemus, non elegantem ita ut sumptuosior sit, neque tamen ita sordidam ut contemptui esse aut minus commode legi possit. Praeterea nostri muneris esse duximus in

hac nova recusione duo praestare. Primo, titulum et praefatiunculas quasdam quæ plus aequo saeculum xvii redolebant, quo hae meditationes scriptae sunt, amandavimus; secundo, menda pene innumera typographorum aut incuria aut errore passim illapsa, diligentiori adhibita cura, sustulimus. Hoc habebam quod te monerem, amice Lector. Hinc si tibi vacat, utere; sin minus, boni consule.

MEDITATIONES

BREVISSIMAE

IN TOTUM ANNUM DISTRIBUTAE

MEDITATIONES

INEUNTE NOVEMBRI

I.

De Beatitudine Sanctorum.

1. Considera beatitudinem metiendam ex loco amplissimo, pulcherrimoque; ex societate suavissima, et inviolabili amoris vinculo conjunctissima, eaque tam numerosa et varia omnis sexus et conditionis; sed praecipue ex Deo quem nunc Beati cum omnibus suis perfectionibus clare intuentur, ac in eo omne bonum, quod cogitare vel velle possunt, possident. Vere *inebriabuntur ab ubertate domus tuae, Domine, et torrente voluptatis potabis eos.*

2. Finge hic hominem aliquem, in quo sit omnis virtus, scientia, prudentia imaginabilis; in quo

omnes passiones rationi obtemperent, qui sit corpore formosissimo, sanissimo, robustissimo, qui solus omnes opes, omnes honores, et voluptates totius mundi obtineat, idque secura et pacata possessione; adjice ei, si placet, annos aeternos, etc.: an non hic felix tibi videbitur? Sine comparatione felicior est Sanctorum minimus: nam illam felicitatem excogitare potuisti, at quanta Deus praeparavit diligentibus se *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, etc.

3. Percurre animo ordines Angelorum et Beatorum, adi Ss. Matrem et caeteros Patronos tuos, et quosdam tibi notos in hac vita; et postquam iis de tanta felicitate gratulatus es, aliquid emendica, praesertim vivam hujus gloriae apprehensionem et desiderium, et mediorum applicationem ad eam obtinendam, etc.

II.

De mediis ad eum finem perveniendi.

Docet illa David Psal. 83, qui de coelesti gloria est, et praeter illius desiderium verbo *concupiscit* significatum, ait:

1. *Beatus vir cujus est auxilium abs te.* Nimirum ad obtinendam gloriam gratia divina est opus, juxta illud: *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, in Psal. eodem, hanc posterius, sed prius illam; cum enim gloria detur in praemium et mercedem bonorum operum, et bona opera sine gratia exerceri non possint, sequitur hanc primum esse gloriae fundamentum; et si roges quemcumque Sanctum, qui ad illam gloriam pervenerit, respondebit:

Gratia Dei sum id quod sum, sed gratia Dei in me vacua non fuit.

2. Quomodo non vacua? sequitur in Psal. *Ascensiones in corde suo disposuit.* Alterum id medium est, bonum propositum bene vivendi, semperque proficiendi: stare enim in via virtutis non licet; nisi regredi velis, perpetuo scandendum est, quia coelum altissimum, et nos in valle collocavit naturae nostrae et vitii perversitas. Ascensiones autem et gradus, veluti tres illae viae quas jam aggrederis. Vide ut pedem recte figas, quia *benedictionem dabit Legislator*, etc.

3. *Ibunt de virtute in virtutem.* Proposita executioni mandanda sunt, neque difficile est, una sola virtute obtenta, omnium fieri compotes. Contende, *ut videas Deum Deorum*, etc.

III.

De necessitate Meditationis.

Quod David malis ominatur, id prope experimur omnes: *Fiat*, inquit, *via illorum tenebrae et lubricum, et Angelus Domini persequens eos.* Horrenda via, qua nihilominus nobis ad coelum tendendum est. *Tenebrae* sunt ignorantia finis et mediorum, ob mentis et intellectus caecitatem. *Lubricum*, peccandi labendique occasiones obviae et continuae. *Angelus persequens* sunt caro, mundus et daemon, ipsaque mors compellans ad properandum per tenebras lubricumque: quis hic non horreat? quis non lumen, quis non fulcrum aliquod, quis non scutum requirat? Suggerit illa David in fine Psalmi, dicens: *Lingua mea meditabitur justitiam tuam.*

1. Igitur *meditatio* est lumen quoddam et quasi fax pellens mentis tenebras, et intellectum illuminans, ut videat quo et qua eundum sit; detegit praecipitia, insidias et alia incommoda viatorum, etc. *Accedite ergo ad eum* per meditationem, *et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.*

2. Eadem voluntatem inflammat, ut ea lubricitas exsiccetur; confirmat et statuit in bonis sanctisque propositis, ut eo secure et sine metu quo vocat intellectus contendat, et passiones moderetur, etc.

3. Est denique veluti scutum quoddam: quotidiana enim illa periculorum imminentium praevisio admodum necessaria est, si laedi nolis; quin teste Augustino, flagellum est, quo hostes abigimus, etc.

IV.

De utilitate et fructu ejusdem.

Non solum ad avertenda mala necessaria est meditatio, verum etiam ad bona promovenda, sicut cibus non solum arcet debilitatem et mortem, sed dat incrementum et venustatem corpori, ejusque vires roborat.

1. Igitur considera idem praestare meditationem animae, quod corpori facit cibus. Non enim tantum avertit languorem et tepiditatem (qualem se expertum fatetur David neglecto meditandi exercitio: *Percussus sum*, inquit, *ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*), sed etiam facit ut anima crescat in virtutibus, et in divino servitio confirmetur. Elias sumpto pane subcinericio non solum animam fugientem reti-

nuit, sed etiam *ambulavit in fortitudine cibi illius 40 diebus et 40 noctibus usque ad montem Dei.* Ita, si serio quotidie meditationi te impendas, experiere robur animi admirabile adversus omnes tentationes et difficultates, et expeditum te senties ad currendam viam mandatorum; et quod alii melius proficiant, adscribere huic exercitio potes, etc.

2. Est quasi clavis coeli, qua ad contemplandas Dei perfectiones ingrederis, qua de thesauris bonitatis illius omnia tibi bona decerpis, etc.

3. Est regula, et solidum medium bene vivendi, adeo ut Bonaventura dicat sine ullo studio omnem Religionem esse aridam, imperfectam, et ruinae proximam, etc.

V.

De jucunditate Meditationis.

1. Ratione subjecti: quia operationes animae jucundiores et delectabiliores sunt operationibus corporis et sensuum: sunt enim illae propriae hominum rationabilium, et hae nobis cum bestiis communes; atqui in meditatione tres animae facultates, memoria, intellectus et voluntas, occupantur. Ergo voluptas non potest non esse liquidissima; patet in iis qui studio et litteris dediti sunt, etc.

2. Ratione objecti circa quod versantur meditatio et illae animae operationes, nempe circa Deum qui est centrum illius in quo conquiescat (*fecisti enim nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*); circa ejus perfectiones, beneficia, vitam Servatoris, circa fidei no-

strae mysteria, etc.; et quamvis nonnulla sint quae dolorem afferre videantur, ut sunt Passio Christi, peccata nostra et poenae peccatorum timendae, hanc tamen suavitatem admixtam habent quod per meditationem eruantur fructus Passionis et media evadendi poenas, etc.

3. Ratione fructuum qui hinc colliguntur quales sunt refraenatio passionum, vitiorum extirpatio, progressus in virtute. Unde pax conscientiae accedit, quod in hac familiari cum Deo conversatione vicissim se Deus animae communicet, participem illam faciendo gustuum et solatiorum suorum, uti testari possunt experti, et tu ipse, si [illegible] te impenderes, experireris. Unde tanti illam Suarez et alii, etc.

VI.

De praxi ejusdem.

1. Quoad praeparationem, quae triplex est: remota, quae consistit in amotione impedimentorum, hoc est peccati, inordinatorum affectuum, curarum nimiarum, et levitatis animi, nimiaeque curiositatis. Haec enim omnia vehementer obsunt volenti bene meditari. Altera est propinquior, qua pridie quam cubitum discedas, praevideas non solum materiam meditationis, sed etiam finem et fructum quem statuis colligere, et ad quem stimulare te vis. Tertia proxima hoc requirit, ut meditaturus te in Dei praesentia colloces, orationem praeparatoriam, loci compositionem, et petitionem luminis et gratiae facias.

2. Quoad meditationem ope intellectus investi-

gandae sunt veritates in materia proposita, quarum passim argumenta sufficientia in sequentibus meditationibus suggeruntur, donec eas probe apprehenderis. Deinde voluntati suas partes committe, ut prorumpat in affectus opportunos; et quia in his potissimus fructus consistit, differri non debent in meditationis finem, sed per eas intercalandae sunt considerationes, et perpetua vicissitudine temperandae, ne meditatio sit arida, studioque similis; et quidem in via purgativa, praecipuus affectus erit compunctionis; in illuminativa, spei, compassionis, imitationis; in unitiva, amoris, zeli, desiderii, gaudii, etc.

Affectum sequuntur resolutiones, et proposita efficacia, non tantum universim concepta, sed multo magis ad particularem aliquem actum determinata (universalia enim plerumque effectum non habent), quamvis hanc particularizationem praestet ad finem reservare, ne distractioni detur occasio. Quin auctor sum, ut nunquam finias prius quam particularem aliquem actum, et quidem eo die vel vitandum vel exercendum decreveris, etsi neque satis convictus intellectus, neque voluntas inflammata videatur: sic enim sine fructu nunquam recedes.

Meditatio denique concludetur per colloquium cum Ss. Trinitate, vel cum aliqua Personarum, etiam cum B. V. aut SS. aliis, petendo gratiam ejus propositi exequendi; quae allocutio et postulatio etiam inter meditandum fieri potest.

Porro praesentissimum adversus mentis evagationes remedium erit seria ordinataque materiae praeparatio, deinde Dei praesentia, et compositio loci, et situs corporis quietus et reverens.

Contra ariditates servient puritas animi et in-

tentionis, patientia, humilitas et diffidentia sui, orationes jaculatoriae.

3. Post meditationem fiat brevis recollectio, quomodo successerit, et unde bene vel male? ut vel continues, vel emendes. Denique propositum renova, et, si potes, utere per diem aliqua sententiola, quae te reddat memorem.

VIA PURGATIVA

MEDITATIO PRAEVIA

ET FUNDAMENTUM OMNIUM

I.

De fine Hominis.

1. Creatus est homo ad hunc finem ut Deum Conditorem suum laudet, revereatur, eique serviat et per charitatem in hac vita uniatur, et sic salutem et gloriam consequatur aeternam, ubi in Dei, hoc est omnis boni possessione sit felicissimus. Vide igitur ut hanc veritatem alte animo infigas: te quidem ex nihilo, sed non casu extitisse, neque ad accumulandos honores, divitias, voluptates, scientiam aliaque naturae bona quibus male plerique mortalium incumbunt, sed a Deo te conditum esse ad ejus gloriam propagandam, ad eum amandum, ad ei serviendum, etc.

2. Cons. excellentiam hujus finis: idem enim est qui Angelorum, qui B. Virginis inter creaturas nobilissimae, qui ipsius Dei, nullum alium finem operum suorum quam se ipsum habentis; et hinc aestima Dei erga te benignitatem, qui non ita nobis uti voluit, quemadmodum nos reliquis creaturis, quae propter nos sunt, utimur, quas usur-

patas et detritas abjicimus; sed ex infinita sua bonitate statuit ut non solum hic, verum etiam in omni aeternitate felices essemus, etc.

3. Cons. quam reliquae creaturae etiam inanimes ardenter prosequantur fines sibi a Deo propositos, lapis descendendo, ignis ascendendo, et quanti tumultus existant si aliqua violenter extra centrum, hoc est, finem suum detineatur; et cogita hanc unicam esse causam turbationum tuarum, quod a fine tuo desciscas. *Fecisti nos ad te*, etc. Vide praeterea quam impense contendas ad scientiam, ad favorem creaturarum, et quae tibi ut fines proposuisti, et erubesce quod minus incumbas in finem nobilissimum ultimumque quem tibi Deus proposuit.

II.

De mediis ad finem illum consequendum.

1. Cons. Deum, qui ex infinita sua bonitate tam nobilem homini finem praefixit, ex sua quoque sapientia infinita contulisse eidem media et subsidia quibus finem suum assequeretur. Si enim avibus dedit alas ad volandum, ad natandum pinnas piscibus, terrae gravitatem, levitatem aëri, etc., credibile non est eum destituisse hominem iis praesidiis quibus ad suum finem perveniret. Hinc illum lauda, ama, reverere, eique gratias age.

2. Media ergo sunt reliquae omnes creaturae quas Deus in gratiam hominis condidit: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves*, etc. Percurre singulos naturae gradus, et videbis non solum inanimata, ut coelos, solem, elementa, etc.; et ve-

getantia, ut plantas et arbores; et sensitiva, ut bestias; verum etiam Angelos ipsos ministerio et usui tuo deputatos ut te ad finem tuum promoveant. Eodem spectant animae tuae facultates, membra, sensus viresque corporis, tum quidquid his accidit prosperum vel adversum, divitiae vel inopia, honor vel contemptus, sanitas vel aegritudo, vita vel mors. Adde media supernaturalia plurima et in promptu et fini consequendo peropportuna, ut Incarnationem Filii Dei, ejusque merita, sacras litteras, sacramenta, tot gratias, etc.

3. Cum creaturae media sint ad propagandam Dei gloriam et salutem tuam consequendam, cave ne iis in illius injuriam et tuam damnationem abutaris; ne aliquam velut finem tibi proponas, similis insano viatori qui, viae deliciis captus, obliviscitur termini sui; sed erga omnes esto indifferens et eatenus tantum usurpa quatenus ad finem te tuum deducunt, et eatenus repelle quatenus ab eo te abstrahunt, uti aeger sanitatis studiosus se gerit erga pharmaca, etc.

III.

De fine vocationis tuae.

1. Praeter finem illum qui omnibus communis est, ut studeas saluti tuae, exigit quoque Deus a te, ratione tuae vocationis ad statum hunc religiosum, peculiarem perfectionem, et studium salutis proximi: aestima finis hujus excellentiam ex eo quod vere sit apostolicus et qui ipsi Christo Domino fuit propositus, et ad quem non alios quam dilectos suos vocat: unde non censeas onus tibi

imponi, sed honorem et notam praerogativae qua polles apud Deum, quomodo in familiam principum adsciti putant ad se pertinere sibique gloriosum ut se caeteris honestius vestiant.

2. Media, quae Deus tibi dedit in Societate, ad consequendum finem tam propriae quam alienae perfectionis, ordinatae ad Dei gloriam, plurima sunt et optima. Propriae perfectioni serviunt tot orationes, meditationes, examina, sacramenta, etc.; alienae, confessiones, conciones, doctrinae, etc. Ubi ponderabis munificentiam et affectum Dei erga Societatem, quam instruxit omnibus fere praesidiis quae ab orbe condito sunt ad salutem perfectionemque propriam et proximorum excogitata, et videbis an et qua ratione illa hactenus usurpaveris.

3. Fac te indifferentem ad omnia officia et ministeria, nec unum (quod forte speciosius sit aut conformius propensioni tuae) prae altero deligas, ne Deus in eo sua te gratia destituat, quod propria tua voluntate non ad normam divinae gloriae elegeris: sed te committe penitus sanctae obedientiae, quae te secure per imposita officia et ministeria ad finem tuum deducet; et cum illa interpres sit divinae voluntatis, crede te per illam intellecturum quid maxime Deus a te fieri velit ad tuam et proximorum salutem, et gloriam suam.

IV.

De peccato Luciferi, Adami et allorum.

1. Unicum est quod fini illi, ad quem conditus es, directe adversatur, ejusque consecutionem impedit, peccatum: quare cogita tibi nihil aeque at-

que illud timendum esse aut pariter abominandum. Caetera omnia, sive animae, sive corporis, sive fortunae mala promovere te possunt, si velis, ad finem tuum; istud unicum culpae malum ab eo te avertit: maximo igitur constantique odio illud prosequere, velut obicem tuae beatitudinis et felicitatis.

2. Unicum admisit cum suis Angelis Lucifer, sola ambitione animum invadente, cum subito Deus, non attenta ejus pulcritudine neque donis quibus illum exornarat, neque obsequiis quae ab eo, si resipisceret, poterat expectare, neque blasphemiis quibus, si damnaretur, in aeternum indulgeret, etc., subito, inquam, de coelo illum praecipitavit in infernum et barathrum omnium miseriarum. Fecit hoc Deus in praestantissima sua Creatura, quid faciet in me vilissimo terrae vermiculo? Fecit ob peccatum unicum, illudque cogitationis, quid faciet ob mea innumera omni genere et modo commissa? Et tamen qui Angelum illico damnavit, hactenus pepercit mihi, spemque salutis et locum poenitentiae reliquit: o bonitas!

Eodem modo expende peccatum Adami et poenam mox subsecutam quam tota adhuc posteritas luit luetque, et vide quantum tua inobedientia, in violatione omnium praeceptorum divinorum, ejus inobedientiam excedat. Time, etc.

3. Cogitatione ingredere infernum, et vide plurimos ibidem ob unicum peccatum mortale admissum torqueri aeternis suppliciis: quid facturos putares si locus illis et tempus poenitentiae concederetur? quid te facere oportet cui hoc beneficium post tot admissa scelera concessum est? Dolor, et emendatio, et poenitentia, etc.

V.

De peccatis propriis.

1. *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas, sed vulnus, et livor, et plaga tumens.* Consid. multitudinem peccatorum tuorum a pueritia huc usque patratorum, non tam in specie quam confuse, advertendo te plagis et livore plenissimum, eliciendo affectum humilitatis et confusionis ob tempus Daemonis servituti impensum; cognoscendo spurcitiam et foetorem plagarum illarum quibus Deum offendisti, proximum scandalizasti, tibi ipsi plagas et stimulos conscientiae impressisti.

2. Ex multitudine aestimabis gravitatem: si enim ad damnationem satis est unicum, quid tot? Sunt veluti plura ulcera pestifera; plures leones circumstantes; debitum insolubile decem millium talentorum, etc. Hinc deplora miserrimam conditionem tuam, a qua vide ut lacrymis continuisque poenitentiae operibus te eximas.

3. Perpende quid te ad peccandum impulerit: nempe vanitas, umbra et species boni momento evanescentis, ut infraenatae cupiditati tuae satisfaceres, ut voluntati pessimae obsequereris, quam non erubuisti anteponere aeternae legi divinae voluntatis, praeferens creaturam Creatori, nihilum Deo, Diaboli suggestiones Angelicis divinisque inspirationibus. O caecitatem! o dementiam! o furorem! quid ex his omnibus tibi modo superest, nisi afflictio spiritus, et justus timor ne per veram poenitentiam nondum satisfeceris irato Numini? etc.

VI.

De gravitate peccati ex vilitate peccantis.

1. Cons. quis sit qui committit peccatum. Homo est; tu es: et quis es tu? ex omnibus animalibus illud quod maxime miseriis est obnoxium: miseriis corporis, virium, sensuum, animae, cui, si ratio deesset, cederes multis brutis, uti patet: et quid ratio quam tanta ignorantia, tanta caecitas, tanta in malum propensio perturbat?

2. Tu quis es? Si prima ortus tui principia perpendis, fuisti, quando formicam magnitudine non excedebas. Si nunc te confers cum omnibus hujus urbis incolis, quantillus es? Quid si te compares cum omnibus qui hanc provinciam inhabitant? minus; si cum iis qui totum imperium? adhuc minus: quid eris igitur respectu omnium hominum, omnium Angelorum, omnium existentium possibiliumque creaturarum? et quid hic omnis numerus respectu ipsius Dei? arena vilis, gutta maris, nihil.

3. Obstupesce quod tu tantillus, tam nihil cum sis, ausus sis impetere, laedere et conviciari illam Majestatem ante quam quidquid est, nihil est; ausus sis opponere te Deo tuo, et levare contra illum manum tuam! etc.; ut si vermiculus, suppositus pedi gigantis, ausit eum provocare, mordere, irritare: potestne ulla par temeritas aut amentia excogitari? Timor, detestatio, deprecatio, etc.

VII.

De gravitate ex Dei offensi excellentia.

1. Quia non solum a vilitate tua, sed etiam ab excellentia ejus Majestatis quam offendisti, maximum peccatis tuis pondus accedit; perpende autem potissimum tria ejus attributa ex quibus summam tuam ingratitudinem, intolerabilem impudentiam, et dementiam furiosam agnoscas. Primum est ejus Bonitas, tot beneficiis, creationis, conservationis, redemptionis, justificationis, vocationis, etc., tibi demonstrata; ob quorum singula cum te totum ejus amori, cultui et obsequiis impendere debuisses, tu e contrario beneficia maleficiis, bonitatem injuriis, amorem odio compensasti. O ingratitudinem detestandam!

2. Conjice oculos in alterum ejus attributum, Immensitatem, qua ubique praesens te quocumque loco peccantem intuetur, accurate omnes ac singulas cogitationes et intentiones tuas, omnia verba, omnes actus observat: et tamen ausus es coram purissimis illius oculis, quod me spectante non auderes? O intolerandam impudentiam! Homines si quid clam possunt, subinde adversus benefactores suos moliuntur, tu ea fronte et pervicacia fuisti, ut etiam coram auderes!

3. Attende ejus Potentiam, quae omni momento et modo perdere te potest, et qua, nisi te sustentaret, in omnis generis peccata, miserias, mortem, infernum, nihilum redigereris: quis ergo furor hunc lacessere injuriis, hunc irritare? Si quis Angelus vel homo te in aere vel de turri suspensum teneret manu, quam si laxaret, rueres in mille

frusta discerpendus: quo fores in illum affectu? an provocares? an in faciem despueres? an non potius precibus et omni obsequiorum genere illum studeres tibi demereri, ut sustinere te pergeret? Eosdem affectus erga Deum exerce.

VIII.

De gravitate ex poenis.

1. In hac vita quidquid patimur, poenae sunt peccatorum: fames, bellum, pestis, morbi caeteri, tot clades, eversiones regnorum, etc.; diluvium universale, punitio Sodomae et Gomorrhae, etc.; denique mors ipsa cui ob peccatum subjecti sumus.

2. Accedunt etiam in hac vita aliae poenae animi, ut remorsus conscientiae, timores, obstinatio et induratio, et quaedam insensibilitas ad omne opus bonum, denique supplicia peccantium fiunt incrementa vitiorum, etc.

3. In altera vita est infernus, qui, etsi aeternus sit, nunquam tamen satis vel unicum peccatum mortale potest expiare. Tandem converte te ad Crucifixum in quo vulnera poenae sunt tuorum peccatorum; et hinc potissimum expende eorum gravitatem, quod Deus Pater ea tam atrocibus suppliciis in Filio innocente persecutus sit: quid faciet in servo, in rebelli mancipio, in te?

IX.

De peccato veniali.

1. Cons. malitiam ex eo quod ad mortale disponat paulatim animam: etsi enim ipsum mors non sit, est tamen veluti aegritudo et pestilens qui

dam morbus debilitans animae vires ad resistendum tentationi, Deo etiam peculiares suas gratias merito subtrahente: et *qui spernit modica paulatim decidet.*

2. Quia Deo displicet; quia commaculat animam; quia facit ut actiones nostrae exigui aut nullius sint meriti, ob adjunctas imperfectiones; quia tollit gustum et alacritatem in bonis operibus exequendis; quia nonnunquam in hac vita magnis poenis castigatur, et in altera expiatur maximis tormentis.

3. Cons. quae venialia in te frequentiora sint, quae periculosiora, quae scandalosa: ut negligentia in spiritualibus exercitiis, facile alios dijudicare, vane superbire et gloriari, admittere et inhaerere phantasiis non bonis, et similia; firmiterque decerne ea extirpare cum divina gratia. Observabis cum David iniquitates passionum tuarum continuo excubando, ne ab iis subvertaris, etc.

X.

De morte.

1. In morte omnia sunt incerta, tempus, locus, modus, ut semper et ubicumque mori paratus sis. Considera quot subito abrepti sint, et forte in peccato mortali; et quid animi tibi foret, si mori hoc momento cogereris?

2. In morte omnia sunt horribilia: in corpore dolores, in animo scrupuli et metus futurorum, graves subinde socii ob morbi gravitatem, aut diuturnitatem; circumstantes daemones, ultimum impetum in animam facturi.

3. In morte aperientur oculi, ut videas merissimas esse hujus vitae vanitates: tunc apparebit quid prosit fuisse doctorem, confessarium magnatum, superiorem, etc.; nihil esse illa quibus olim innitebaris, in solis operibus bonis solatium et spem esse.

XI.

De Judicio particulari.

1. Judicium erit terribile, ratione Judicis sapientissimi, justissimi, potentissimi, absolutissimi, a quo non detur ulla appellatio.

2. Ex parte rerum quae examinabuntur: non enim examinabuntur tantum facta et dicta, sed etiam occultissimae cogitationes; neque tantum peccata, sed etiam bona opera, aut omissa aut facta negligenter, eaque in quibus modo nos ipsos palpamus. *Ego*, ait, *justitias judicabo.*

3. Ex parte accusantium: ipsius conscientiae primum; tum Daemonis; etiam Angeli custodis, cujus internas monitiones toties contempsisti. Cons. quis sensus futurus sit animae in istis angustiis constitutae, quo non pretio redimeret tempus ad talenta sua, et gratias resumendas, et reformandas actiones, ad sinceram poenitentiam!

XII.

De cadavere, ut est imago hominis mortificati.

1. Cons. qualitates cadaveris: non movetur, nisi alienis manibus aut humeris; caret usu sensuum; si honorifice efferatur, non superbit; si horrori est,

si deseritur, si abjicitur, non repugnat: linteo contentum est et brevi fovea, etc.

2. Hinc disce solo Superiorum arbitrio moveri, comprimere libertatem sensuum etiam in licitis non necessariis, honores contemnere, contemptum non curare, paucis et obviis rebus acquiescere, negligere superflua, etc.

3. Reflectendo te ad horrorem cadaveris, cogita quid ames, dum formam, dum carnem amas; cui servias, dum corpori et sensualitati indulges: an non praestat rem tam vilem mancipii loco habere viliter, vexare, castigare et mortificare, nil, praeter necessaria ad animam et Deum, illi concedere?

XIII.

Memento, homo, quia pulvis es, etc.

1. *Memento, homo.* Cons. quam utile sit meminisse nostrae conditionis, ad humilitatem et diffidentiam sui ipsius: quid enim superbis, terra et cinis! quid te alteri praefers, formatus ex uno eodemque luto? quid potest *pulvis quem projicit ventus a facie terrae?*

2. *Pulvis es.* Non tantum fuisti in origine tua, sed adhuc es, levis, inconstans, pronus ad terrena, oculis Dei et Angelorum saepe molestus, aridus et siccus, etc.

3. *In pulverem reverteris.* Poena peccati ista est, quia Adam Deo similis esse voluit; et ut quem originis vilitas non cohibuerat, finis compesceret, etc. Vide ergo quanti te facere debeas, qui pulvis fuisti, es et eris, an indignari si contemneris, hoc est, si pulvis calcetur? Denique, caetera omnia aestima pulvere ipso viliora.

XIV.

De signis Judicii universalis.

1. Cons. Deum velle istud Judicium coram toto mundo fieri, tum in approbationem Judicii particularis, tum ut corpora etiam suam sententiam audiant, tum in confusionem reproborum, et gloriam Beatorum; tum denique ut toti mundo appareat gloria Humanitatis Christi, et aequitas judiciorum Dei quae in hac vita bonis adversa immisit, malos felices esse permisit.

2. Signa erunt quod *sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, virtutes coelorum commovebuntur, erunt terrae motus*, etc.; nimirum *armabitur omnis creatura pro Creatore in ultionem inimicorum.*

3. Incipiet ardere coelum, et terra igne qui malorum corpora etiam ante sententiam cruciabit, et postea, veluti torrens igneus, secum in infernum abripiet.

XV.

De Resurrectione corporum.

1. Vide ad sonitum tubae angelicae ubique reviviscere, et surgere corpora mortuorum, proborum quidem impatibilia et pulcra, aliorum vero patibilia et foeda, et quae horreant animae subire; quin mutuo horribiliter maledicent, ubi proborum animae et corpora invicem gratulabuntur; nec tamen sic sistitur.

2. *Tunc apparebit signum Filii hominis. Etenim videbunt Filium hominis venientem cum ma-*

jestate magna, cinctum choris Angelorum, etc., terribili aspectu in malos, amabili in justos. Erit et suus B. Virgini thronus, etc.

3. *Sed et patebunt abscondita tenebrarum, et manifestabuntur consilia cordium* coram toto mundo: opera justorum non solum bona, sed etiam mala, quae per poenitentiam expiarunt, non ad confusionem, sed ad gloriam, ubi et malorum bona opera erunt illis in confusionem quod non perseveraverint, etc.

XVI.

De sententia Judicis.

1. *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi: esurivi enim*, etc. Singula attente considera.

2. *Ite, maledicti, in ignem aeternum qui paratus est Diabolo et Angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis*, etc.

3. *Et ibunt hi in supplicium aeternum*, quanto ululatu, et maledictis! *Justi autem ibunt in vitam aeternam*, quanto jubilo!

XVII.

De Inferno.

1. Cons. quid sit: nempe locus subterraneus, angustus, obscurus, foetidus, omnium malorum et tormentorum aggregatione terribilis.

2. Socii erunt Diaboli, et pessimi quique ex omni genere dignitatum et ordinum invicem implacabili odio et rabie persequentium, qui a se divelli non

poterunt, etc. Et si hic tibi intolerabilis videtur convictus unius vitiosi hominis, quid facies inter tales tota aeternitate?

3. Cons. causas aeternitatis esse: tum quod culpa semper durat, voluntate in malo et odio Dei obstinata; tum quia ignis ille non consumitur, neque consumit; tum quia decretum Dei immutabile est: in inferno nullam esse redemptionem. Oh si post mille, si post mille millia annorum, etc.

XVIII.

De poena sensus et damni.

1. Cons. multitudinem tormentorum: nam miser torquebitur in omnibus membris et sensibus maxime iis quibus potissimum peccavit: in phantasia, per imagines horribiles; in memoria, per continuam recordationem bonorum amissorum, et malorum praesentium; in intellectu, per apprehensiones tristes; in voluntate, per odium Dei et rabiem, etc.; deinde singulis potentiis applicabuntur varia objecta affligentia, etc.

2. Cons. magnitudinem poenarum, tum ex multitudine et varietate, ut prae iis omnes morbi, omnia martyria totius mundi videri possint res pictae; tum quia nullo solatio aut refrigerio interrumpuntur, sed continuantur aeternum. Aeternum! Et ista nobis momentanea voluptatula nos mercamur!

3. Accedit poena damni, qua videt anima se summo bono aeternum spoliatam, ad quod possidendum scit se a Deo creatam fuisse, videbitque quam facile ejus potiri potuisset.

XIX.

De Purgatorio.

1. Consid. eumdem esse ignem purgatorii atque inferni, eademque violentia agere in animam: unde poenas illius aestima per applicationem sensuum; et etiamsi solatium magnum esse videatur quod poenae illae aeternae non sint, tamen dilatio summi boni, quod et clare cognoscunt et valde amant, torquet vehementer, etc. Compatere igitur, et stude modis omnibus miseris animabus succurrere.

2. Cons. cur poenae illae infligantur, nempe ob peccata venialia, aut defectum satisfactionis temporalis pro mortalibus: ita ut negligentia in spiritualibus, verbum otiosum, vana complacentia, similiaque, causae sint tantorum tormentorum. An non igitur praestat se in iis hic mortificare, quam ibi sic torqueri?

3. Cons. media evadendi purgatorium: 1. Facere exacte res omnes suas, et cum reflexione, et examine. 2. Custodia cordis, et oris, et sensuum. 3. Pietas erga indulgentias.

XX.

De Superbia.

1. Cons. actus superbiae. Septem sunt: vana gloria, jactantia, ambitio, praesumptio, hypocrisis, pertinacia, contemptus aliorum: circa quae te ipsum examinabis.

2. Cons. poenas superborum: 1. Quod sint odibiles Deo ob ingratitudinem, quod sibi ascribant ea quae Dei sunt. 2. Sunt odio caeteris, quibus se

arroganter praeferunt. 3. Saepe Deus permittit eos in graves defectus et peccata prolabi, quo fit ut confundantur: *Qui enim se exaltat humiliabitur*, etc.

3. Consid. remedia: 1. Notitia tui ipsius, ut videas te miserum et miserabilem, nihilque boni a te ipso habere, sed a Deo cui gloria, etc. 2. De rebus tuis parcissime loqui. 3. Bona quae privatim fieri possunt, publice ne facito. 4. Aliis ne contradicas, iisdem cedas, etc.

XXI.

De Gula.

1. Actus sunt: 1. Circa qualitatem ciborum, lautitias et delicata quaerendo, cibis communibus non esse contentum, de iis queri, etc. 2. Circa quantitatem, sumendo plus quam necessitas requirat, aut valetudo patiatur. 3. Circa tempus, praeveniendo horam consuetam, aut saepius, etc. 4. Circa modum, edendo avidius, et absorptam esse, etc.

2. Poenae et damna: 1. In corpore, quod variis inde morbis affligitur. 2. In anima, quae inepta redditur ad studia, ad spirituales functiones, instar navis nimio pondere demersae; denique, quod alimentum luxuriae ministratur.

3. Remedia: 1. Considerare vilitatem vitii istius; quam procul Christus et Sancti ab eo abfuerunt. 2. Declinare convivia externorum. 3. Tempore prandii avocare cogitationem a sensuali cate edendi per pias considerationes, aut attendendo ad id quod legitur, etc.

XXII.

De Luxuria.

1. Actus, praeter istos qui opere ipso consummantur, neque ad Religiosum spectant, sunt: 1. Aspectus incauti et liberiores tum personarum, tum imaginum impudicarum. 2. Lectio turpis, sub specie eruditionis. 3. Conversatio mollis et blanda, praesertim cum mulieribus. 4. Cogitationibus turpibus et similibus phantasiis immorari, etc.

2. Poenae: 1. Lapsus apertus, quem Deus permittit ob negligentiam, etc. 2. Excaecatio mentis et induratio. 3. Infamia, et tandem desperatio et apostasia. 4. Ob momentaneam delectationem aeternus cruciatus. 5. Ingentes scrupuli et anxietates, etc.

3. Remedia: 1. Custodia sensuum. 2. Mortificatio carnis. 3. Fuga otii. 4. Mentem bonis cogitationibus occupare. 5. Primis malis suggestionibus statim resistere. 6. Cultus B. V., etc.

XXIII.

De Avaritia.

1. Actus: 1. In paupertate religiosa nolle alicujus rei penuriam pati. 2. Rebus communibus uti tanquam propriis, usum aliis praeripiendo, aut difficulter cedendo, accipiendo et dando sine venia, maxime si iis detur qui reddere liberaliter possunt, aut ea spe. 3. Superflua, curiosa, et pretiosa habere. 4. Ad ea procuranda peculium sibi retinere, etc.

2. Poenae et damna: 1. Inquietudo ut habeas,

anxietates ut serves, moeror si perdas. 2. Violatio voti. 3. Laesio charitatis. 4. Scandalum aliorum, ut similibus superfluitatibus inhient, etc.

3. Remedia: 1. Intuere pauperem Christum cujus socius haberi vis, et exempla primorum Patrum nostrorum. 2. Nil accipe aut da sine venia Superioris. 3. Cupidorum et eorum qui affluunt familiaritatem devita, ne, cum te puduerit paupertatis tuae, similiter cupidus fias.

XXIV.

De Ira.

1. Actus: 1. Proximum a quo laesus es odio interno prosequi, ejusque vitare consortium. 2. Eidem detrahere, famamque ejus apud alios denigrare, etc. 3. Eumdem coram convitiis et verbis amarioribus impetere. 4. Ejus incommodis laetari, etc. Ad iram spectat impatientia, morositas, et nescio quid in conversatione amarum et inurbanum.

2. Poenae et damna: 1. Ira sibi ipsa poena est, quia animam turbat, cor et corpus alterat. 2. Iracundi aliis exosi, quia molesta eorum conversatio. 3. Scandalo sunt domesticis et externis.

3. Remedia: 1. Dum laederis, non tantum sile, sed nec ullum signum commoti animi exterius ostende. 2. Blandius cum laedente agas, responsio enim mollis frangit iram. 3. Nunquam illius consortium fugias, sed potius obsequiis novis demereri stude; accende carbones super caput inimici, etc.

XXV.

De Invidia.

1. Actus: 1. Dolere de bonis alterius, tum externis, ut opibus, commoditatibus, honore, etc.; tum internis, ut scientia et virtute. 2. Gaudere de alterius depressione et contemptu. 3. Bona aliorum tacere, imperfectiones vero cum exaggeratione propalare. 4. Virtutes, etc., aliorum calumniari, et interpretari in pejorem partem. 5. Impedire ne bona quae ipse facere nolis, aut nequeas, fiant ab aliis, etc.

2. Poenae et damna: 1. Invidia exsiccat ossa, redditque tristem et melancholicum. 2. Vitium est difficillimum curatu, quia pudet aliquem fateri se invidum.

3. Remedia: 1. Cura amare proximum et Deum: si enim proximum amabis, laetaberis de bonis illius; si Deum, gaudebis illius gloriam ab aliis promoveri. Utinam omnes prophetent! ajebat ille. 2. Actus contrarios actibus invidiae exerce, gratulando aliis, eos laudando, etc.

XXVI.

De Acedia.

1. Actus: 1. Res omnes spirituales negligenter et tantum ex consuetudine facere. 2. Easdem aliquando omittere. 3. Virorum spiritualium consortium declinare. 4. Otiosum esse. 5. Ad declinandam notam otiositatis, inutilia et saecularia tractare. 6. Egredi sine necessitate, neque ex charitate, ad externos, tantum fallendi temporis et taedii causa, etc.

2. Damna sunt: 1. Nunquam proficere in virtute. 2. Tempus, rem pretiosissimam, perdere. 3. Grave esse periculum majoris lapsus, etiam apostasiae, juxta illud: *Utinam calidus esses vel frigidus!* etc. Unde etiam collige tales difficillime emendari.

3. Remedia: 1. Considerare vitae brevitatem, judicii severitatem, diligentiam aliorum in scientiis, divitiis et honoribus acquirendis. 2. Quod ferventer fit, fit majori solatio, majori merito. 3. Nil omittere spiritualium, etsi taedio afficiare.

XXVII.

De Sensibus.

1. Considera quibus modis per sensus peccetur, et tu peccare soleas, videndo curiosa, periculosa, audiendo vana, murmuratoria, detractoria, etc.

2. Considera damna: 1. Inquietudo et distractio animi. 2. Variae concupiscentiae; facile enim concupiscitur, quod cum delectatione videtur aut auditur, etc. Inde pericula peccandi, morte intrante per fenestras, etc.: sic Eva periit, sic Samson, sic David, et quicumque labitur pene istis viis ad peccandum ducitur: et tu qui pronus es in lapsum sponte tua, quid facies impulsus?

3. Fructus custoditorum sensuum sunt: 1. Pax et puritas cordis. 2. Aedificatio proximi, per modestiam nobis tantopere a S. P. N. commendatam, et usurpatam a B. Borgia, Aloisio, Berchmanno et aliis. Sensus ergo mortifica; et si casu aut necessitate aliquid videris, cave ne imaginando illud menti altius imprimas.

XXVIII.

De Potentiis internis.

1. Peccat intellectus: 1. Ignorantia necessariorum ad officium ac statum pertinentium. 2. Inconsiderate et sine reflexione agendo. 3. Temere alios judicando. 4. Pertinacia in suis sententiis defendendis. 5. Prudentia carnis, excogitando ea quae carnalibus et mundanis desideriis serviunt. 6. Curiositate, studendo inutilibus et variis, etc. Quibus vitiis per actus contrarios occurrendum est.

2. Peccat voluntas: 1. Inobedientia. 2. Prava intentione. 3. Quaerendo tantum quae sua sunt. Non sic Christus, qui dicebat: *Non mea, sed tua voluntas fiat*; et: *Non quaero gloriam meam, sed ejus qui misit me*, etc.

3. Phantasia et appetitus sensitivus sunt velut mare quoddam tempestuosum, fraenanda per memoriam praesentiae Dei, et spiritualibus cogitationibus, et assidua mortificatione. Considera denique potentias illas talenta esse tibi a Deo credita, de quorum usu ratio stricta reddenda, etc.

XXIX.

De Examine Conscientiae.

1. Cons. modum examinis hoc versu explicari:

Redde Deo grates, pete lumen, discute mentem,
Delicti veniam posce, recide malum.

Vide quam hactenus ea puncta perfectorie percurreris.

2. Considera quae potissimum examinanda sint: 1. Bona opera, quam tepide, quam imperfecta inten-

tione ea feceris. 2. Opera mala, neque tam actus ipsos quam ipsam intentionem, reflexionem et causas, seu radices istorum malorum, etc.

3. Cons. fructus examinis bene instituti: 1. Notitia tui ipsius, et inde humilitas. 2. Remissio peccatorum, et inde pax et quies conscientiae. 3. Extirpatio vitiorum, ut morborum cognitorum, etc. 4. Perfectio virtutum, quae sine examine multis imperfectionibus obscurantur, et saepe magis umbrae virtutum sunt quam virtutes. 3. Prudentia spiritualis, ad juvandos alios, etc.

XXX.

De Examine particulari.

1. Consistit in his: proposito, cura seu sollicitudine, examine, et collatione. Et vide quam accurate S. P. N. et caeteri Societatis id exercuerint exerceantque, imo et ethnicis fuisse in usu. Pudeat te et ab illis deficere, et ab his vinci.

2. Materia hujus examinis est: 1. Extirpatio vitii a quo magis impugnaris, aut quod scandalosius est. 2. Reformatio morum exteriorum, sensuum et potentiarum. 3. Acquisitio virtutum solidarum, inchoando quidem a maxime necessaria statui tuo, et tibi; sed eam ita subdividendo in gradus, ut in facilioribus virtutis actibus primum te exerceas, deinde paulatim ad difficiliores progrediaris, etc.

3. Fructus est, praeter illos quos habet cum examine generali communes, quod sic optime consulitur imbecillitati humanae, eaque pie decipitur, dum in medium tantum diem proponitur vitii fuga

aut virtutis exercitatio; quis enim tantillum nolit, aut nequeat? dumque id iterum in alterum medium diem renovatur, fit habitus, etc.

XXXI.

De Confessione.

1. Ante confessionem requiritur: 1. Examen peccatorum, et intentionum tuarum. 2. Intensus dolor, quod iterum tam bonum Patrem ingratus filius offendisti. 3. Propositum firmum non tantum omnia, sed singula vitandi peccata.

2. In confessione imaginare non te homini, sed ipsi Christo confiteri, cui omnia interiora tua cognita sint, ut cuncta breviter, clare et sine ullis ambagibus aut excusationibus patefacias, imaginando potissimum, in absolutione, de vulneribus Christi distillare sanguinem in animam tuam, ad maculas illius abluendas: cui si lacrimas cordis et oculorum admiscueris, lavaberis amplius, etc.

3. Accepta absolutione, complecteris Dominum tuum, velut in amicitiam ab illo receptus, cujus bonitati cum admiratione referes gratias; et dicta oratione: *Sit tibi, quaesumus*, etc., leges impositam poenitentiam, et in satisfactionem ampliorem offeres Deo reliqua opera tua.

XXXII.

De Missa et Communione.

1. Ante Sacrum excitandus est appetitus et fames istius tam amabilis, tam divini cibi, considerando immensam bonitatem Jesu dignantis isto modo venire ad te. Unde hoc tibi ut Dominus

tuus? etc. Unde et quibus meritis tuis tibi tam indigno, tam ingrato? Dominus tuus, Rex tuus, Pater tuus, Sponsus tuus, etc. Urgebis famem cogitando miserias et necessitates tuas, quibus sublevandis ille venit.

2. Sacrum distincte, attente et graviter legas, memor illius: *Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus;* et pudor sit tantum hospitem cursim et perfunctorie excipere, etc. In Communione, excitata viva fide praesentiae Christi, iterum obstupesces tantam dignationem; et cum protestatus fueris te mori millies malle quam ab illo separari qui tam misericorditer se tibi unire dignatur, sumes illum, veluti de manu B. M. aut ipsius Dei Patris, etc.

3. Post Sacrum: Gratiarum actio, explicatio necessitatum et miseriarum tuarum, petitio gratiarum: quid enim negabit, qui seipsum dat? Denique oblatio cordis et rerum omnium tuarum, ut de iis ad majorem suam gloriam et animae tuae salutem disponat, etc.

VIA ILLUMINATIVA

VIAE ILLUMINATIVAE

PRIMA PARS

DE INFANTIA CHRISTI DOMINI

I.

De duobus vexillis.

1. Primum vexillum est Luciferi omnes homines ad se allicientis, et magnam mundi partem sub sua ditione habentis: dole et indignare.

2. Alterum est Christi nobis in Regem a Deo Patre constituti, suavissime invitantis ad se sequendum in expeditione contra mundum, carnem ac daemonem, vitiaque omnia, eorumque tyrannidem. Vide quae ad sequendum alliciant: 1. Dignitas vocantis. 2. Mille nomina quibus ei obstrictus es. 3. Justitia causae contra hostes tibi infestissimos. 4. Exemplum praeeuntis Ducis, et incommoda omnia nobiscum et pro nobis obeuntis. 5. Certa spes victoriae, nisi per te steterit. 6. Praemium immensum.

3. Cons.: 1. Omnes quidem velle regnare cum Christo, sed paucos velle ejus sequi vestigia; sed tales juste a regno excludentur. 2. Aliqui sequuntur, sed eminus, et quadam laxitate, in custodia tantum praeceptorum ejus. 3. Alii etiam consilia ejus faciunt, et imitari omnino conantur. 4. Alii non tantum proxime sequuntur, sed alios etiam eo inducunt.

II.

De decreto Incarnationis.

1. Qui in Angelorum peccato puniendo justitiam, voluit in hominibus divitias misericordiae suae ostendere: 1. Quia homines non sua propria malitia, sed alterius primi Parentis peccarant. 2. Ne frustraretur fine suo, ob quem genus humanum et mundum condiderat, nemine salutem consequente. 3. Quia homo serpentis fraude ad peccandum inductus fuerat.

2. Cum potuisset salvare homines aut per meram condonationem, aut per Angelum, aut per purum hominem, voluit per Filium suum fieri tum ut copiosior esset redemptio, tum ut per humilitatem Filii superbiam hominis melius destrueret. Admirare, et gratias age.

3. Divinae perfectiones in isto decreto: 1. Bonitas, communicando se naturae humanae tam mirabiliter. 2. Charitas, quia *sic Deus dilexit mundum*, etc. 3. Misericordia, dum miseriarum nostrarum capax fieri voluit, ut posset compati. 4. Justitia, plene satisfaciendo. 5. Sapientia, in conciliandа justitia cum misericordia. 6. Omnipotentia, in eo: *Verbum caro factum est*, etc.

III.

De Charitate Dei et fine Incarnationis.

1. *Sic Deus dilexit mundum:* 1. Quis? Deus, nullius indigens et seipso beatus, mere gratuito amavit. 2. Quem? mundum seu mundanos homines, peccatores, inimicos suos, quos sciebat fore ingratos. Id tibi applica.

2. Quantum dilexit? *Ut Filium suum unigenitum daret.* Amorem igitur ex dono collige, quo majus esse non potuit, etsi non ignoraret qualiter id donum homines accepturi essent summa ingratitudine, vilipendendo, etc. Tu vicissim te redde non verbo aut lingua, sed opere et veritate.

3. Ad quid dedit? *Ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Finis ergo Incarnationis fuit: 1. Ut non perires; ut liberareris a peccato, a servitute diaboli, a gehenna aeterna. 2. Ut haberes vitam gratiae, et vitam gloriae consequereris. 3. Cons. nullum hinc excludi. Dicitur enim: *Omnis qui credit,* etc.

IV.

De Electione Matris.

1. Cur Matrem elegit? potuisset enim corpus sibi formare, sicut Adae fecit: 1. Ut uterque sexus honoraretur, hic a Filio, iste a talis Filii Matre. 2. Ut quia vir unus et mulier una valde nocuerunt, ita per unum et unam valde juvaremur. 3. Ut ipsa nobis esset Matris loco et Advocatae apud Filium.

2. Ex singulari et gratuito Dei beneficio in Ma-

trem ex omnibus electa est Maria, cui proinde gratulaberis, et beatam dices: *Quia fecit illi magna qui potens est*; deinde te illi in servum, et, si patitur, filium devovebis.

3. Cons. quanta bona hanc electionem sint consecuta. Si enim universe de electis dicitur: *Elegit nos ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate*, quid dicetur de Electa unica inter omnes? 1. Certe debuit esse sancta, quae editura erat Sanctum Sanctorum. 2. Immaculata, ut Christus, qui sicut qua Deus Filius Patrem habet puritatis fontem, ita qua homo et Filius Matrem haberet purissimam. 3. In conspectu ejus quem erat, non tantum ob oculos mentis, sed etiam corporeos habitura. 4. In charitate totius sanctissimae Trinitatis, Filia, Mater, Sponsa, etc.

V.

De Immaculata Conceptione.

1. Beata Mater praeservata fuit ab originali peccato: neque enim decebat ut Dei Mater vel momento unico serva esset diaboli, et Filius redemptionem suam illi non per modum medicinae sicut caeteris, sed per modum praeservativi (quod nobilissimum et illi soli, si cui alteri debebatur) applicuit, ne inundantes aquae originis illam arcam contingerent, etc.

2. Omnis mali fomitis et concupiscentiae expers fuit, quod convenienter sequebatur ex praeservatione ab originali culpa; et ut secundus Adam non potuit existere inferior priore, ita nec secunda Eva primae cedere debebat; at illi sine fomite illo creati sunt.

3. In ipso statim conceptu tanta copia gratiarum illi infusa fuit, quanta ne omnibus quidem Angelis et hominibus simul sumptis contigit, ut vere illud ei applicetur: *Fundamentum ejus in montibus sanctis*; eamque gratiam perpetua accessione continuo cumulavit. Vere *electa ut sol*, nulla unquam ullius vitii labe obscurata, sed continuo splendens et crescens, etc. Tanto omnibus excelsior, quanto differentius nomen haereditavit, ut Mater Dei nominetur et sit, etc.

VI.

De Nativitate.

1. *Quae est ista quae ascendit quasi aurora consurgens?* Vere enim Maria fuit aurora post tantas tamque diuturnas tenebras, in quibus latuerat totum genus humanum, expectata. Praenuntia veri Solis justitiae tot votis SS. Patrum expetiti, aurora, quasi aurea hora, aurea ora, aura rorans, etc.

2. Quantum gaudium attulit ea Nativitas universo mundo! Nam, si multi in nativitate Praecursoris gavisuri erant, quanto magis in nativitate Matris! Gavisa est Ss. Trinitas, quod nata esset per quam decreverat gloriam suam mundo manifestare et operari redemptionem; gavisi Angeli, gavisi Patres in limbo, maxime ejus progenitores; gavisi in mundo insolita quadam laetitia, etsi causam non omnes intelligerent. Tu fac ut in te iterum nascatur per devotionem, etc.

3. Nomen illi impositum Maria divinitus, quia Maria: 1. Stella maris, fausta nobis periclitantibus. 2. Mare amarum, mare ob affluentiam gratiarum, amarum in Filii passione. 3. Domina et

exaltata, Domina omnium, exaltata super omnes. 4. Illustrata et illustrans, quia est Magistra Apostolorum, etc.

VII.

De Praesentatione.

1. Deus beatam Virginem statim ab infantia sibi praesentari voluit, et educari in templo velut in domo regia, ut concupisceret Rex Christus decorem ipsius. Cons.: 1. Quam libenter Parentes ejus id fecerint obtemperantes inspirationi divinae, et forte voto a se facto. 2. Quanto affectu ipsa se Virguncula praesentarit: vide illam per gradus generose ascendentem, velut virgulam fumi ex aromatibus, etc.

2. Crescebat in templo non tantum aetate, sed multo magis spiritu et gratia, omnes actiones suas tum mentales tum corporales faciendo omni contentione et perfectione possibili, ad stuporem ipsorum Angelorum qui illius servitio et consortio mire delectabantur, non sine gustu et complacentia ipsius sanctissimae Trinitatis.

3. Prima vovet virginitatem, cupiens soli Deo placere et tota esse ipsius; hinc illam in Patronam castitatis tuae advoca: Per sanctissimam virginitatem tuam, o purissima Virgo Maria, emunda cor meum meam, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ita P. Realinum ajunt orare solitum.

VIII.

De Desponsatione.

1. Voluit Deus castissimam illam Virginem desponsari, prius tamen edoctam nihil id voto obfu

turum: 1. Ne haberetur adultera, si gravida a Spiritu Sancto videretur. 2. Ut in Aegyptum fugiens haberet solatium, et subsidium. 3. Ut partus ejus celaretur diabolo, etc.

2. Desponsatur Josepho de regia quidem stirpe, sed non opulento nisi virtutibus, quas ingentes fuisse necesse est, maxime castitatem, ut illi talis Virgo credi posset. Et uti Christus moriens Matrem Virginem sancto Joanni dilecto discipulo et virgini commendavit, ita dubitari non debet quin nasciturus voluerit eam dari Viro innocentissimo, Viro, ut Evangelium testatur, justo, Viro virgini.

3. Cons. felicitatem talis Sponsi, ex convictu talis Sponsae, et Filii ejus. Felix quem constituit Dominus suae Matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidissimum. Qualis inter illos amor! qualis conversatio! quam divina colloquia! etc. Tu ama Mariam et Josephum qui ejus Sponsus est.

IX.

De Annuntiatione.

1. Legatus a Deo Gabriel salutat Virginem: *Ave, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Et: *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Perpende singula.

2. Exponit legationem suam et modum, etc.: *Ecce concipies èt paries filium*, etc. Et: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, etc. Cons. Virginis affectus dum haec audiret: humilitatis, admirationis, et praecipue amoris erga Deum cui videbat se modo tam mirabili uniendam, etc.

3. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Attende: 1. Suavem Dei dispositionem, quae nihil quodammodo agit jure suo, sed hominis voluntarium assensum requirit. Inspirationibus ergo divinis consentias. 2. Illum assensum Virginis expectabat tota sanctissima Trinitas, totum genus humanum efflagitabat, cujus bono fiebat. 3. Vide qua humilitate Virgo consentiat. Eligebatur in Matrem Dei, at illa Ancillam se nominat. Disce donis Dei non extolli, sed potius humiliari, etc.

X.

De Visitatione.

1. Exurgens Maria, abiit ad Elisabetham, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec dubitans de exemplo, quae ab ipsa Elisabetha audire meruit: *Beata quae credidisti*, etc., sed laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio. Utinam, quoties ad proximum egredieris, movereris simili intentione aeque pura! etc.

2. Prior salutat Elisabetham juxta illud: Honore invicem praevenientes Mater Dei et Domini, matrem servi. Unde haec merito exclamavit: *Unde hoc mihi ut Mater Domini mei veniat ad me?* etc. Nec venit tantum ut prior salutaret, sed etiam ut ei tribus mensibus serviret, jam non ancilla tantum Domini, sed etiam hominis.

3. Cons. effectus hujus Visitationis: 1. Exultat infans Joannes in utero matris, agnoscens eum cujus debebat esse Praecursor. 2. Sanctificatur jam tum a peccato originali. 3. Elisabetha prophetat:

Beata quae credidisti, quoniam perficientur in te quae dicta sunt tibi, etc. 4. Denique, bonis omnibus repleta per eam est domus Zachariae.

XI.

Super *Magnificat.*

Laudata Virgo ab Elisabetha non insolescit, nihil sibi arrogat, sed humillime totum refundit in auctorem bonorum omnium, Deum. Quem magnificat, et in quo exultat, non tam corpore quam spiritu. Causas deinde subjungit: *Quia respexit humilitatem ancillae suae,* et caeteras toto Cantico; quas singillatim perpendes.

XII.

De Nativitate Praecursoris.

1. Cons. circumstantias Conceptionis ejus: 1. Concipitur a parentibus sterilibus, sed justis, qui oratione eam gratiam a Deo impetrarunt. 2. Praedicitur ab Angelo. 3. Nomen ei divinitus determinatur Joannes, id est gratia, quia ei summa gratia fiebat ut esset Christi Praecursor, etc. 4. *Vinum et siceram non bibet:* praedicitur ejus abstinentia, et vitae asperitas. 5. *Spiritu S. replebitur adhuc ex utero matris suae.* 6. Zelus ejus commendatur: *Praecedet in spiritu et virtute Eliae,* etc.

2. Praerogativae in utero fuerunt: 1. Sanctificatur. 2. Donatur usu rationis, unde jam tum per bonos actus merita colligebat.

3. Illustratur ejus Nativitas: 1. Praesentia B. V. quae illum forte prima ulnis suis excepit. 2. Quod mater, divinitus edocta, velit illum vocari Joan-

nem. 3. Quod pater loquelam recipit et prophetat: *Benedictus Dominus Deus Israël*, etc. 4. *Quod multi in Nativitate ejus gaudeant*, et jam tum admirentur: *Quis putas Puer iste erit?* Emicabant ergo jam tum futurae sanctitatis magna indicia. Simili pene modo ex matutina meditatione, quae quasi quotidiana nativitas tua est, colligi poterit totius diei fructus et eventus.

XIII.

De sollicitudine S. Josephi.

1. Quia Deus Josepho non revelaverat mysterium Incarnationis, hinc videns Sponsam suam ab obsequiis Elisabethae gravidam redire, coepit angi; et cum esset justus, *noluit illam* publice *traducere*, sed *dimittere occulte*, ut sic innocentiae suae et famae Virginis consuleret. In quo apparet: 1. Ejus patientia, quod coram Sponsa dissimularet, non exprobraret, non deferret. 2. Prudentia, dum non temere neque praecipitanter procedit, sed cogitat et deliberat dimittere. 3. Charitas, dum id facere vult occulte.

2. Cons.: 1. Interim humilitatem Virginis, quae mysterium adhuc reticet, nec ullam apud Sponsum sui defensionem affert, ut facere tu sine modo et ratione soles. 2. Confidentiam il ius in Deum, a quo sciebat nec se nec Sponsum suum deserendos, et cui per oratione omnia committebat. 3. Compatiebatur Sponso suo, ob ejus sollicitudinem et anxietatem.

3. Tandem, deficientibus mediis humanis, adsunt divina; adest Angelus qui S. Josepho scrupulum omnem adimit: *Ne timeas*; docetque my-

sterium: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; denique illum nutritium, et quasi patrem Christi constituit: *Vocabis nomen ejus Jesum:* quantum hinc solatium! quanta in Virginem reverentia! etc.

XIV.

De expectatione partus.

1. Ipse Christus infans, etsi summopere desideraret perficere salutem nostram, continuit se tamen in virgineo illo claustro per novem plenissimos menses, eamque poenam Deo Patri pro nobis offerebat: eratque illi quasi secessus quidam, in quo se ad opus redemptionis nostrae efficiendum praeparabat quodammodo, uti ante praedicationem per dies 40 in deserto.

2. Desiderabat B. V. videre, illoque frui, quem Deum sciebat et agnoscebat in se, et ex se hominem. Desiderabat illum fovere, servire, maternis obsequiis curare. *Quis mihi det*, ajebat, te Filium meum, *ut inveniam te foris et deosculer te?* erat interim secura de sua integritate, neque de labore partus anxia.

3. Anhelabat et S. Joseph jam mysterii conscius et sollicitus quo obsequio recenter natum exciperet, ac deinceps studiose aleret, etc. Tu idem fac ut in te Christus renascatur, et cogita te quoque Christi Matrem fieri posse, si illum per pia colloquia, etc., hoc potissimum tempore parias in animis aliorum, eos ad ejus amorem excitando, etc.

XV.

De profectione in Bethleem.

1. Occasio itineris fuit edictum a Caesare, cui etsi superbo et tyranno parere voluerunt non Maria tantum et Joseph, sed etiam ipse Christus; ut quemadmodum mori volebat in obedientia, ita etiam in obedientiam nasceretur. Disce considerare, non quis imperet, sed quid imperetur ut facias, et propter quem obedias, qui est Christus, Dux tuus. Aliam quoque rationem Christus habuit, nempe ut alibi nascens privaretur commodis domus maternae. I nunc, et quaere commoditates tuas tanto studio, quanto ille declinavit!

2. Vide singulari modestia procedentem Virginem cum Sponso suo, mente in illum quem gestabat defixa, et aut cum illo suavissime, sed tacite colloquentem, aut de illo cum Josepho. Quare difficultatem itineris et hyemis asperitatem temperabat, sublevabat etiam sacra sarcina, non gravabat, etc.

3. Totum oppidulum hospitii gratia circumeunt, nec inveniunt. Vere *in propria venit, et sui eum non receperunt.* Debebat certe etiam lapideum cor movisse et Virginis forma, et teneritudo, et quod jam praegnans esset. Excluditur tamen: an a Judaeis tantum? imo vero et a Christianis, jam et quoties a te? Tandem offer hospitium cordis, etc.

XVI.

De Nativitate Christi.

1. In stabulo B. V. praesentiens partum aliquantulum secedit, defixaque in altissima contempla-

tione praestolatur, eoque repente sine ullo dolore, et illaesa illius virginitate, edito, quid ipsa senserit deliciarum, scit sola quae sensit. Agnoscebat illa Filium suum eumdem esse Deum; illinc amor, hinc reverentia praestat: complectitur, osculatur, gratias agit, materna sua obsequia illi affectu inenarrabili offert.

2. Iisdem affectibus incumbit S. Joseph. Quid tu fecisses, si praesens adfuisses? forte quod Bethleemitae, qui ad stabulum et praesepe eum relegarunt, ipsi suis deliciis et commoditatibus immersi.

3. Converte te ad Parvulum tibi natum, qui se pro te nominatim Deo Patri offert; vide lacrimas, audi teneros vagitus, et inter illos haec tacita verba: Tibi et propter tuam salutem natus sum, et in has aerumnas sponte me conjeci. Nasci potuissem in domo materna, volui peregre; potuissem in hospitio, volui in stabulo, in praesepio, media nocte, tempestate frigidissima, etc. Quid tu pro me? adhuc de incommodis queri potes? etc. Erubesce.

XVII.

Annuntiatur Pastoribus.

1. Considera Angelos omnes, viso Domino in praesepi, obstupuisse, supplicesque adoravisse, jubente Deo Patre ut *adorent eum omnes Angeli ejus*; et cum viderent illum obscurum, ignotumque hominibus, desiderasse omnes descendere, et manifestare illius gloriam. Eodem affectu tu illum per pios sermones magnifica, aliosque in ejus amorem accende.

2. Cons. quibus annuntietur: non sapientibus quia superbi, non divitibus quia cupidi, non nobilibus quia deliciis dediti, sed humilibus et pauperibus Pastoribus vigilantibus super gregem suum, e quorum numero si tu es, senties eumdem tibi cum insolita animi laetitia nuntiari.

3. Perpende verba Angeli: 1. *Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit* (nondum est) *omni populo.* An tu illius gaudii es particeps, et non magis aliquando de temporariis deliciis, recreationibus, etc., delectaris, quam de Christi Nativitate? 2. *Quia natus est vobis hodie Salvator.* Nulla in Angelis invidia est, tam nostra causa laetantur quam sua. Eos imitare, sincere gaudendo de bonis aliorum.

XVIII.

De eodem.

1. *Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio.* Haec nimirum purpura, hic thronus Regis tui est; vide an haec indicia in te reperias: infantilem innocentiam, vincula fasciarum effraenam cupiditatem et voluntatem fraenantium, et studium paupertatis cum humilitate conjunctum.

2. *Et subito facta est cum Angelo multitudo coelestis exercitus laudantium Deum.* Cons.: 1. Deum Patrem misisse Angelos ut humiliatum Filium suum clarificarent, quod etiam facit aliis qui despectiones aequo animo et propter illum patiuntur. 2. Angelos id fecisse cum ingenti jubilo, ut discas opus Dei non facere negligenter, sed cum promptitudine et gaudio.

3. *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus:* 1. *Gloria Deo,* quia nullum opus gloriosius illi quam Verbi incarnatio. 2. Pax non hominibus magni ingenii, rarae eruditionis, magnarum opum, aut honorum, sed *bonae voluntatis,* quae sola facit pacificos cum Deo, cum proximo et secum.

XIX.

De adoratione Pastorum.

1. Statim hortantur se invicem Pastores: *Transeamus,* inquiunt, *usque Bethleem,* etc. Etsi mandatum nullum accepissent, venerunt tamen festinanter. Disce ab his quomodo bonis inspirationibus obsequi te oporteat: 1. Non excludere, velut anxietates quasdam animi, et scrupulos, quibus attendere necesse non sit; sed si aperte constet bonas esse, illas exequi. 2. Non differre in tempus aliud commodius, sed facere sine mora et alacriter, cum protestatione quod sic velis placere Deo.

2. Inveniunt Infantem, et divinitus illustrati, adorant, gratias agunt, et quod credibile est, de sua paupertate aliquid offerunt, compatientes ejus necessitatibus et incommodis; deinde reverenter Matrem alloquuntur, eique gratulantur de tali Filio. Idem fac.

3. *Et reversi sunt glorificantes et laudantes Deum in omnibus quae audierant* tum ab Angelo, tum a Ss. Matre et Josepho, et viderant in stabulo, etc. Quod si contigisset tibi spiritualiter haec felicitas hisce diebus, profecto deceret te non alia loqui quam, etc.

XX.

Applicatio sensuum.

1. Aspice mentis oculis Infantem pulcherrimum jacentem in praesepio inter animalia. Vide fluentes lacrimulas, quibus tuas compuncti cordis admisce. Vide ejus paupertatem, patientiam, humilitatem, etc.; aspice suavissimam Matrem, etc., aspice sponsum Josephum summa reverentia, fide, amore Parvulum adorantes, etc.

2. Audi quid loquantur Maria, Joseph, Angeli, Pastores; quid clament stabulum, praesepe, fenum et tanta paupertas; audi tenerrimos vagitus Pueruli, et ora ut intus tibi loqui dignetur, et quae audieris facere propone.

3. Odorare coelestem hujus Pueri odorem replentem totum stabulum, et confer cum hac suavitate graveolentiam tuorum peccatorum.

4. Gusta suavitatem hujus Pueri: panis enim est et cibus natus in Bethleem, id est, in domo panis.

5. Tange duritiem praesepis, amplectere et osculare tenerrimos pedes tui Jesu, nec recede ab iis nisi benedixerit tibi. Offer illi sensus omnes tuos, et usum illorum.

XXI.

De vario affectu hominum in hoc mysterio.

1. Aliqui hospitium negant Christo nascituro, ut Bethleemitae, quibus similes sunt: 1. Qui per haec festa nullum pietatis exercitium usurpant, non confitentur, Christum in Eucharistia quasi re-

nascentem non sumunt; 2. Qui cor occludunt bonis inspirationibus et vocationibus.

2. Alii pro hospitio stabulum et praesepe offerunt, ii nimirum qui conscientiam suam a peccatis non rite expurgant, communicant solum ut consuetudini satisfaciant, et ne notentur velut minus devoti, etc.

3. Alii, ut Pastores, fide viva accedunt, adorant et fructum aliquem referunt, sed paulo tamen post revertuntur ad sua, id est, ad suas pravas peccandi consuetudines, etc.

4. Alii denique, ut Maria et Joseph, mysterio isti inhaerent, illudque assidue volvunt animo, et inter se de eo conferunt. Vide an ex eorum sis numero, an hinc fructum aliquem solidum et constantem reportaveris, an hinc humilior, an paupertatis amantior, etc.

XXII.

De Circumcisione.

1. Etsi Ss. Mater et Sponsus scirent acerbam hanc circumcisionem Parvulo nulla ratione esse necessariam, tamen ex amore legis et obedientiae voluerunt circumcidi, aut ipsi etiam illum circumciderunt: at quantis affectibus, qua reverentia, qua compassione! etc. Disce non tantum necessaria et praecepta Dei amore facere, sed etiam omnia quae videris esse ad ipsius gloriam promovendam.

2. Cons. hic virtutes Christi: 1. Obedientiam, quia non venerat solvere legem, sed adimplere. 2. Humilitatem, quia peccator haberi non renuit, cujus signum erat circumcisio. Tu, peccator cum sis,

haberi vis justus et probus. 3. Patientiam in prima hac sanguinis effusione, et tu ne verbulum pati potes. 4. Amorem tum erga Patrem cui sic placere volebat, tum erga te pro quo hoc tam prompte et alacriter subibat. Ubi reciprocus amor?

3. Corporaliter circumcisus est Christus, ut tu spiritualiter circumcidere te disceres, resecando omnes inordinatos affectus, amovendo superflua omnia in vestitu, cubiculo, etc.

XXIII.

De triplici effusione Sanguinis Christi.

1. Prima facta fuit in Circumcisione ab ipsa Ss. Matre aut S. Josepho, aut saltem sacerdote aliquo, debita et sancta observantia. Sic circumcisio tua spiritualis perfici debet a tuis Superioribus, amputando occasiones, et mortificando et humiliando te, negando non necessaria, etc.

2. Secunda facta est ab ipsomet Christo in Horto per vehementem cum imminente morte conflictationem sponte susceptam. Ita tu teipsum debes mortificare, humiliare, abnegare, in potentiis, in sensibus, in omnibus, et continuo, ut regula tua loquitur. Et hoc est odisse animam suam in hoc mundo, ut in vitam aeternam custodiatur.

3. Tertia facta est in Passione a pessimis hominibus, et Satanae ministris. Ita, si tibi aliquid a similibus hominibus per contemptum, per detractiones, per calumnias adversi contingat, tolera patienter: illa enim omnia ad domandas seu circumcidendas passiones tuas proderunt, etc.

XXIV.

De impositione Nominis Jesu.

1. Nomen illud a Deo Patre impositum est, qui solus noverat officia et opus Filii sui; Angelus autem id beatae Matri et Josepho manifestavit. At B. Mater in Circumcisione prima eum isto nomine vocavit, magna sine dubio suavitate sua, et aliorum audientium admiratione.

2. Cons. quam merito illi nomen Jesu seu Salvatoris conveniat, quia nimirum *salvum facit populum a peccatis eorum:* quae salvatio longe pluris est quam a quibuscumque aliis malis, quae, omnia simul sumpta, unico peccato minora sunt. Sic autem salvos nos facit a peccato, hoc est omni malo, ut simul introducat nos in omne bonum hujus et alterius vitae; et quidem modo prorsus singulari salvat, plene pro nobis Deo Patri satisfaciendo.

3. Cons. *nomen* illud esse *super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, etc. Nunquam sine reverentia dicendum aut audiendum: per hoc spirituales aegritudines curantur, tentationes vincuntur, daemones profligantur, etc. O Jesu, propter nomen sanctum tuum, esto mihi Jesus et salva me, etc.

XXV.

Cur id sanctissimum Nomen Societati nostrae impositum.

1. Noluit S. P. N. Ordinem nostrum nominare a se auctore, uti aliae nonnullae Religiones a suis fundatoribus nomen acceperunt, etc.: 1. Ex humi-

litate, quia non se, sed Deum auctorem agnoscebat. 2. Ne virtutes ad sui velut Capitis imitationem arctaret; sed voluit dici Societatem Jesu, tum quia is se illi Romae propitium fore spoponderat, tum quia nolebat alium esse vitae nostrae Ducem, etc.

2. Cons. quantum nos ea appellatio movere debeat. Socii Jesu sumus. Igitur: 1. Oportet nos illum opus aggredi, propter quod ille e coelo descendit, id est, incumbere saluti animarum, vitiis et Satanae bellum indicere. 2. Iisdem studiis in id niti, humilitate, obedientia, patientia, paupertate; neque enim decet socium esse socio aut diti rem, aut delicatiorem, aut honoratiorem, etc. 3. Tali auspice et duce quidvis audendum confidendumque. 4. Illi vincendum aut moriendum, id est, ad ejus gloriam omnia dirigenda.

3. Cons. quomodo tu hactenus huic nomini satisfeceris, mercenarius potius quam socius, etc.

XXVI.

De apparitione Stellae.

1. Eodem tempore quo Pastores in Judaea excitabantur per Angelum, in Oriente per stellam lucentem Magi invitabantur, hic infideles, ibi fideles; ut discas: 1. Deum nunquam auxiliis suis et gratiis tibi defuturum, nisi maxima ei ponas obstacula, et ingratitudinem, etc. 2. Aptis unumquemque mediis vocare et stimulare, Angelo fideles stella mathematicos, etc. Attende ergo inspirationibus quas tibi saepe nunc suggerit, iisque dum tempus est obsequere, etc.

2. Multos alios hanc stellam vidisse, at quid vellet intellexisse, soli tamen Magi eius ductum

secuti sunt: ita plerique, temporalibus commodis et deliciis immersi, lucem divinae inspirationis contemnunt. An tu ex horum vel illorum numero? Vocante quidem te Deo ad religionem venisti; sed quoties audis illum te monentem ut in Religione vivas religiose, et spernis? Roga ut efficacius te moveat, ut Magos, etc.

3. Cons. quantum viae et laboris insumpserint Reges ut Jesum perquirerent: quid tu agis ut hunc invenias? An non majori studio scientiam inutilem et vanos hominum favores persequeris? Quanta hic tibi alacritas! etc.

XXVII.

De Magorum inquisitione.

1. Statim Magi, relictis omnibus, itineri se dant: qui enim vocantem gratiam illico non sequitur, ea se reddit indignum. Quoties tu differs, et quia differs perdis! Deinde ducem stellam ita sequuntur ut nec ad dexteram, nec ad sinistram declinent. Stella tibi est recta ratio, divina inspiratio, Superiorum tuorum praecepta, quae statim, alacriter et constanter sequenda sunt.

2. Intrantibus Jerosolymam stella subducitur, forte: 1. Quia aulicam et humanam prudentiam volebant consulere. Idem an non quotidie experiris? 2. Ad probationem fidei et constantiae. Id si tibi evenit, si aridus es et desolatus, imitare Reges, qui ideo non recesserunt, sed sapientes et sacros magistratus consuluerunt: ita tu recurre ad Superiores, ad P. spiritualem, etc.

3. *Ubi est qui natus est Rex Judaeorum?* Aestima hic: 1. Magorum fidem: non quotiani de

nato Rege, sed tantum de loco inquirunt. 2. Magnitudinem animi et constantiam, dum ipsum Herodem cum vitae periculo interrogant. Quoties tu, ob leves metus et respectus, ea negligis quae tibi et aliis essent saluti?

XXVIII.

De turbatione Herodis.

1. *Rex Herodes turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.* Mirum non est ambitiosissimum tyrannum, audita novi Regis nativitate, turbari; sed quod omnis Hierosolyma, quod Judaei quibus natus Rex nuntiabatur, turbentur, stupendum est: sed vitium mali capitis in totum corpus penetrabat, timebantque miseri tyranno suo displicere. Quoties in negotio salutis tuae magis vereris hominum judicia et irrisiones, quam Dei vocantis auctoritatem? Deinde, si turbari nolis, mortifices oportet in te omnem honoris et rerum externarum cupiditatem.

2. Inquirit: 1. Herodes ipse locum nati Regis, ut mireris Dei providentiam quae etiam malo instrumento in bonum utitur. 2. Inquirit per Scribas et Pharisaeos, ut ille ore suo se judicarent, neque in posterum praetendere possent ignorantiam; sed quid juvat scire, si non accedat facere? Magi a longinquis partibus veniunt, ut adorent Regem alienum; illi nec pedem movent, ut honorent suum. Ita saepe seculares obeunt opera religiosa, quae Religiosi negligunt: unde fiet ut *multi ab Oriente,* a seculo, *veniant et recumbant,* etc., *filii autem Regni,* etc.

3. *Ite et interrogate*, etc. Cons. nequissimam calliditatem Herodis, quem ii imitantur qui propter statum simulant Religionem.

XXIX.

De inventione et adoratione.

1. *Quae cum audissent, abierunt, et ecce stella*, etc. In aulis principum haerendum non est illi qui Deum quaerit: si necessitas te cogit, paucis absolve; quia fructus illorum plerumque exiguus est, periculum tibi certum vanitatis alicujus, etc. Redi ad stellam, ad cellam et solitudinem tuam.

2. Duce stella domum *invenerunt*, et in ea *Puerum cum* Maria *matre ejus*, nempe unum sine altera difficulter reperies, *et procidentes adoraverunt eum*. Nihil turbantur loci vilitate, quia fide viva adorant; et myrrha, auro, thure, eumdem Parvulum hominem, Regem et Deum esse profitentur. Tu ne vacuus coram Domino tuo appareas: offer illi myrrham mortificationis, aurum charitatis, thus devotionis; aut myrrham castitatis aurum paupertatis, thus obedientiae, ita ut quae obtuleris non retractes, sed fideliter exsolvas.

3. Conversi deinde ad Virginem Matrem, cujus formam et modestiam obstupescunt, eidem gratulantur, narrant de stella, de Herode aliisque, quae sibi in via acciderant; quos illa vicissim alloquio dignatur, animat et confirmat in fide, etc. Ora ut eadem tibi Magistra fiat, ut est exemplar omnis virtutis.

XXX.

De tribus votis.

Occasione trium munerum regiorum subjungetur hic de tribus votis.

1. Cons. quid voveas, nempe; 1. Paupertatem, id est, abnegationem omnium bonorum externorum, ut nihil possideas, neque ulla re ut propria utaris. 2. Castitatem, id est abnegationem omnium carnalium voluptatum, ut castus sis et immaculatus ab omni turpitudine, jam non tuus, sed ipsius Christi et Dei. 3. Obedientiam, id est abnegationem propriae voluntatis et animae, ut jam non vivas tuo, sed Dei arbitrio per Superiores tuos tibi manifestando.

2. Cons. cui voveas: nempe Deo qui te juvat ut vota perficias, et, si perfeceris, aeterna gloria remuneraturus est. Si vero perfidus fueris, aeterna te poena mulctabit, et quam merito! Dein voves coram Ss. Virgine et tota Curia coelesti, a quibus etiam opem et auxilium polliceri tibi potes, et in die Judicii aut testes erunt tuae bonae voluntatis, aut tuae vindices perfidiae.

3. Cons. quomodo hactenus circa vota tua te gesseris; et si quid in funiculis illis, quibus Deo te alligaveras, advertis, aut dissolutum, aut fractum, novo affectu et majori fide et constantia innova, et restaura, etc., opem petens, speransque.

XXXI.

De reditu Magorum.

1. Admonentur in somnis ab Angelo, ne redeant ad Herodem. En paternam Dei sollicitudinem de

suis: nunquam in se confidentes destituit; et quamvis videatur aliquando destituere, tempore tamen opportuno adest, et novis mirisque modis eripit, qui in mentem nobis nunquam venerant. Confide igitur fore ut, quemadmodum te saepius praeter spem et meritum tuum juvit, ita, si in illum confidas, nunquam defuturum.

2. Obtemperant Magi Angelo monenti; et quamvis via forte illis ignota, longior et molestior ostenderetur, non tamen tergiversantur, aut rationes inquirunt, aut obtendunt excusationes. Tu per vias illas constanter incede, quas tibi Regulae tuae et Superiores ostendunt, non quas tibi sensualitas tua aut prudentia carnis suggerit.

3. *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Regio nostra Coelum est, ad quod Jesu cognito redire per viam qua venimus prohibemur: a regione etenim nostra, superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, discessimus; sed ad eam necesse est ut, flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refraenando, redeamus, etc.

XXXII.

De Purificatione.

1. Cons. hic virtutes B. V.: 1. Amor solitudinis, dum se per 40 dies continuit, intenta tantum Filio suo alendo. 2. Amor puritatis, dum purissima adhuc vult purificari, nempe nix dealbari, sol illustrari, etc. 3. Obedientia erga legem, a qua tamen excipiebatur, ut quae non suscepto semine conceperat. 4. Humilitas, dum pro immunda haberi vult, ut in Circumcisione Filius. 5. Amor pauper-

tatis, dum non agnum, sed par turturum obtulit, quod erat pauperum munus. 6. Devotio, qua Filium et munus suum praesentavit sacerdoti. Vide quam absis ab his.

2. Cons. quam grata fuerit Deo Patri oblatio super omnes oblationes olim factas: 1. Quia a purissima Virgine incensissimo affectu. 2. Quia ipse Filius jam tum se offerebat pro salute totius mundi, et sua nominatim. Vide ut sacrificio eumdem majori pietate offeras, et te cum eo.

3. Redimitur a Deo Patre, qui Filium suum volebat esse nostrum. Redemit Mater, non ut eum sibi servet, sed mihi nutriat. Redimitur quinque siclis, id est, parvo; ne excusabiles essemus, si noster non esset. Quinque sicli sunt mortificatio quinque sensuum.

XXXIII.

De Simeone et Anna.

1. Quem Deus agnosci voluerat in utero per Joannem et Elisabetham, in stabulo per Pastores et Reges, eumdem publice in templo voluit honorari per Simeonem et Annam: nempe glorificantes ne glorificat, uti e contrario, qui eum contemnunt, qui propriam quaerunt gloriam, fiunt ignobiles, et tandem etiam in oculis hominum obscuri; idque tibi applica.

2. Cons.: 1. Qualis fuerit Simeon, nempe *justus et timoratus*, imo justus quia timoratus. Qui enim timet Deum nihil negligit, quo vitia expurget, et virtutes omnes, id est justitiam, consequatur. Atque hoc stimulo te excita: *Confige timore tuo*, ajebat ille, *carnes meas*, etc.; statimque subjun-

git: *Feci judicium et justitiam.* 2. Qualis Anna, nempe vidua casta, devota, jejuniis et obsecrationibus serviens; et talibus non se tantum videndum, sed etiam complectendum dat Jesus, etc.

3. Perpende verba Simeonis: *Nunc dimittis*, etc.; et: *Ecce positus est hic in ruinam*, etc. Vide ne tibi sit in ruinam, in condemnationem, dum Jesu socius, tam parum quae Jesu sunt curas, tam parum socii jura exples. *In signum cui contradicetur.* Si tibi contradicitur propter illum, gaude et tolera, etc.

XXXIV.

De fuga in Aegyptum.

1. Obedientia Pueri Jesu: 1. Qui, etsi ut Deus sciret omnia et cognosceret voluntatem Patris, etc., tamen tacuit et a Josepho regi se sinit: ita tu, etsi tibi prudens videaris, sine tamen te ab aliis regi. 2. Cum potuisset mille aliis modis conservare se, ut occidendo Herodem, illius animum immutando, invisibilem se suosque reddendo, etc., tamen judicium suum subjecit voluntati Patris, idque in Aegyptum, ubi mille incommoda praevidebat. Ita tu amplectere voluntatem tuorum Superiorum, ut magis tutam, etc.

2. Obedientiam B. Matris: 1. Credit Josepho, nec aegre fert Angelum sibi id immediate non manifestasse. Sic tu, etsi Superior tibi aliquid per alios aut scripto significet. 2. Quia discedit subito, nocte, non salutatis amicis aut vicinis, sine viatico, relictis omnibus. O quales tu motus in simili occasione patereris!

3. Obedientia S. Josephi: 1. Quia retulit S. Ma-

tri rem adeo difficilem. Tu, ob respectus humanos, quid non detrectas? 2. Nil Angelo contradixit, etsi videret totum onus sibi incumbere; nec de mora constabat: *Esto ibi usque dum dicam tibi.* Sic tu age, curam omnem Superiori relinquens, paratus immorari et immori.

XXXV.

De bono Obedientiae.

1. Securissima vita obedientis similis dormienti in navi, quae suaviter et secure ab alto ad portum dirigitur: 1. Quia obediens sollicitus esse non debet, cum illi agenda omittendaque omnia a Superiore disponantur, cum autem in horum electione summa difficultas sit. quanta felicitas ea carere! 2. Quia errare non potest, cum error in imperantem redundet, neque subditi sit de Superiorum decretis judicare. 3. Quia omnia indifferentia opera vi hujus virtutis fiunt meritoria, ut ex obedientia comedendo mereri plus possis quam arbitrio tuo jejunando, etc.

2. Is qui suo arbitrio aliquid agit expositus est magnis periculis: 1. Ob defectum gratiae Dei dicentis: *Qui vos spernit, me spernit.* Unde ex magnis laboribus fructus et meritum exiguum. 2. Quia inquietissimus est, dum timet ne res a se suscepta non eveniat feliciter. 3. Quia solatium nullum debet expectare a Superiore.

3. Media sunt: 1. Amare et aestimare Superiorem. 2. Mandata ab illo, velut a Christo, suscipere. 3. Non inquirere quid de se statutum statuendumve sit. 4. Mandata laeto vultu excipere.

5. Non petere mutationes aut exemptiones. 6. Propensiones suas ad aliquod munus vel locum non manifestare.

XXXVI.

De caede Innocentium.

1. Cons. quo Herodem ambitio propulerit, et appetitus honoris, rerumque terrenarum: 1. *Videns quod illusus esset a Magis.* Proprium hoc superborum est, ut sint suspiciosi, credantque omnia fieri in sui contumeliam. 2. *Iratus est valde.* Altera superbi proprietas est ira et impatientia. 3. *Mittens occidit omnes pueros.* Succedit irae crudelitas etiam, et maxime in innocentes, quos male arbitratur obstare suis cupiditatibus. 4. Accedit dementia, quae putat se imponere posse divinae Sapientiae. Hos actus tuae superbiae applica, etc.

2. Percurre, per applicatione sensuum, immanem illam barbariem, et caedem innocentium Puerorum *a bimatu et infra:* militibus, ut fit, etiam alios quosvis obvios obtruncantibus.

3. Cons. cur Deus id fieri permiserit: 1. Forte Bethleemitis in poenam, qui Christum et Christi Matrem hospitio excluserant. 2. Forte ut sic notior fieret novi Regis nativitas, quem viderent omnes, et audirent tam impense ad necem quaesitum; sed quidquid sit, Innocentibus mors accidit felicissima, qui pro Christo primi mori meruerunt, etc.

XXXVII.

De reditu ex Aegypto.

1. Cons. in Aegyptum profugos ibidem vitam duxisse in magna rerum inopia, utpote apud ignotos, deinde etiam in contemptu, ut apud idololatras, et disce non omnia tibi ubique deberi; et si peregrino tibi adversi aliquid contingat, exemplo Ducis tui Jesu fer patienter et libenter.

2. *Defuncto Herode*, quid illi profuit superbia et divitiarum jactantia, et regnum tot innocentum, propriorum filiorum, et aliorum sanguine quaesitum et confirmatum? Transierunt omnia tanquam umbra. Sic peribunt etiam illa quae tu hic aestimas, ut scientia, favor et existimatio aliqua apud homines, etc.: sola virtus, si illi te impendas, non defungitur, etc.

3. De reditu monetur Joseph ab Angelo: ut videas Dei paternam providentiam erga suos, et eos qui se divino illius arbitrio confidenter committunt. Sit vilis habitatio, sit abjectum molestumque officium quod tibi Superiores imposuere, ne redi, nisi monitus ab Angelo, id est, Superiore. Sufficiatque tibi hoc in omnibus solatium, quod Deus tui curam gerat, etc.

XXXVIII.

De Christo duodecenni in Templo.

1. *Remansit Puer Jesus* in templo, insciis Parentibus: 1. Ut aliquam speciem suae Divinitatis ostenderet inter Doctores. 2. Ut ostenderet carnalibus parentibus praeferendum eum qui est in Coelis,

atque ad ejus gloriam promovendam eos deseri posse. 3. Ut aliquam patientiae materiam sanctissimae Matri suae praeberet, quam ita libenter arripuit, etsi dolens illud requireret: quod et tu facies in ariditatibus et desolationibus.

2. Cons. quod Christus, sicuti dilectissimam suam Matrem triduo deseruit, ita illum se subinde familiaribus suis subtrahere: 1. Ob latentem aliquam arrogantiam. 2. Ob occultum odium et rancorem adversus alios, aut nimiam severitatem. 3. Ad exci andam majorem sitim rerum divinarum. 4. Ad humilitatis et patientiae exercitium. 5. Ad instructionem nostram, ut aliis melius possimus succurrere, etc.

3. Christus in medio Doctorum manifestat sapientiam suam, ita ut stuperent omnes super doctrina et responsis ejus, sed tamen modeste et humiliter, nam invenerunt illum audientem et interrogantem. Ita tu talenta tua etiam potes ad Dei gloriam et proximi utilitatem manifestare, sed modeste et humiliter, etc.

XXXIX.

Christus quaeritur.

1. *Existimantes eum in comitatu esse, venerunt iter diei unius:* existimabat Ss. Mater Christum esse apud Josephum, et ille eum esse apud Matrem, etc. Ita nos saepe Jesum perdimus, dum non curamus ut nobis adsit; sed credimus sufficere ut in comitatu nostro sit, sit apud eos quibuscum vivimus, illi illum comitentur et imitentur in humilitate, paupertate, etc.; sed quid te juvat sanctitas aliorum? Nisi tu sanctus es, Jesum perdi-

disti, et vae qui inter sanctos perversus esse potes et audes!

2. Cons. quomodo Jesum quaerant SS. Conjuges: 1. Dolentes, sciebant enim qualem amisissent. 2. Diligenter et sollicite, nihil omittendo quo eum reperirent. 3. Constanter toto triduo, donec eum invenerint. 4. Addebant sine dubio ardentes preces ad Deum Patrem, etc. Atque hisce modis tu, si contingat Jesum perdere, require.

3. Cons. ubi quaesierint: 1. *Inter cognatos et notos*, sed frustra; nam qui dilectissimam Matrem reliquerat, non adhaerebat cognatis: nos saepe, qui parentes reliquimus, patimur nos nescio qua saecularium familiaritate abduci. 2. *Regressi sunt Jerosolymam*, visionem pacis, credentes quod *in pace locus ejus*, etc. 3. Tandem in templo, ubi eum invenerunt, etc.

XL.

De inventione Christi.

1. Cons. ubi eum tandem invenerint: 1. In templo, in domo orationis, ut discas eo in desolationibus et adversitatibus tuis confugere, non a creaturis mendicare solatiola. 2. In medio Doctorum et sapientium. Quod si fervens oratio tibi Jesum et pacem animi non restituit, accede Doctores tuos seu Superiores, et praefectos rerum spiritualium, etc. Illi te dirigent. 3. Adverte sanctissimam Matrem, reperto Filio inter Doctores, non inaniter sibi applausisse, ostentando illum esse Filium suum; et tu tua dissimula, etc.

2. Audi amorose expostulantem: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Mira excellentia Virginis, quae Deo

dicere potest *Fili!* Simili fiducia usi sunt Sancti post superatas tentationes suas, ut SS. Antonius et Catharina Senensis: qua et tu uti potes, discesque saepe absentem videre, qui intime praesens est spectator pugnarum tuarum, et auctor victoriarum; atque hac consideratione te anima.

3. *Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Prima ergo cura esse debet, servire Deo, et opera spiritualia, quae directe ad Deum tendunt, accurate facere, non omittere, non breviare, non praecipitare in gratiam operum aliorum, ut studiorum, etc., quae sine his nunquam bene succedent.

XLI.

De vita Christi usque ad annum 30.

1. *Et erat subditus illis.* Quis, quibus? Erubesce, superbe pulvis et cinis. Deus se humiliat, et tu te exaltas! Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestis hominibus! Tuo te praeponis Auctori! Sequere Auctorem tuum, o homo. Interim perpende qua reverentia Parentes tali Subdito imperarent, ut discant etiam Superiores in subditis suis Deum agnoscere.

2. *Proficiebat aetate, sapientia et gratia, apud Deum et homines.* 1. Utinam in te pari passu procederent aetas, sapientia et gratia! Multos annos aetatis, multos Religionis numeras; sed quot virtutis? Aliquid in scientia profecisti, quam parum in gratia! solum negligens in eo quod curare potissimum deberes: quanta hinc ratio reddenda, cum non petetur a te quamdiu vixeris, sed quomodo; non quid sciveris, sed quid feceris, etc. 2. Attende

proficiendum esse coram Deo et hominibus, ut homines videant opera tua bona, et glorificent non te, sed Patrem qui in Coelis est. Aliqui proficiunt solum coram Deo, nulla habita ratione proximi; et hoc parum est. Alii proficiunt solum coram hominibus, hoc unum attendentes ut illis quomodocumque placeant, ab illis magnifiant, et ab illis ut probi sanctique habeantur: sepulcra vere dealbata, quae foeditatem suam intra se contegunt! etc. Atqui hoc vanissimum est; sed coram Deo et hominibus proficere, est christianum et perfectum.

3. Christus denique usurpat artem fabrilem, non tantum ut ex isto opificio nos humilitatem doceret, sed ut tractando lignum, clavos, etc., perpetuo sibi ob oculos poneret genus mortis suae, idque offerret semper Deo Patri pro peccatis nostris, juxta illud: *Et dolor meus in conspectu meo semper.* In hoc speculum intuere, anima delicata et pusillanimis, quae detrectas labores in vinea Domini, quae exhorres tentationes et incommoda occurrentia. Potius cum Jesu tuo ea tibi semper repraesenta, offerque cum generoso AMPLIUS, non ista tantum te pati velle, sed etiam graviora, etc.

VIAE ILLUMINATIVAE

SECUNDA PARS

DE PRAEDICATIONE CHRISTI

I.

De vitae mixtae excellentia.

1. Vitam activam expressit Martha, quae Christum hospitio excepit; sed sollicita erat et turbabatur erga plurima. Cum enim vita illa versetur circa exteriora, ut audire confessiones, concionari, docere, exercere opera misericordiae, etc., necessario exposita est multis sollicitudinibus et turbationibus, tum ob naturae imbecillitatem, tum ob indiscretionem, tum etiam ob vani atem, etc., nisi juvetur a socia contemplatione, unde ajebat illa: *Dic ut me adjuvet*, etc.

2. Vita contemplativa expressa in Magdalena, quae sedebat secus pedes Domini, audiens verbum ejus, consistitque in meditatione, oratione, lectione spirituali, etc. De qua dixit Christus: *Optimam partem elegit Maria, quae non auferetur ab ea.* Absunt enim tales ab occasionibus distractionum, etc. Vere partem optimam elegit, sed non totum, quod consistit in mixtura utriusque.

3. Vitae mixtae exemplar fuit Christus, qui non noctem tantum contemplationi impendebat, sed saepe etiam actiones suas interrumpebat, etc. Talis quoque vita sociorum Jesu et instituti tui.

II.

De vita Praecursoris.

1. Ab infantia vixit in solitudine, semotus a turba, et consequenter a peccandi occasionibus. Vestitus erat cilicio ex pilis camelorum, et zona pellicea; alias: *Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* Victus locustae, et mel silvestre; lectus terra, etc. Huic vivendi asperitati adjungebat perpetuam contemplationem et orationem. Sed cur ista? an ut peccata sua expiaret, qui in utero erat sanctificatus? non, sed ut Deo placeret, ut innocentiam suam conservaret, ut se ad munus Praecursoris disponeret. Quid nos istorum?

2. Zelo Dei et amore proximi commotus, praedicare incipit: 1. Efficaciter, quia praedicationi concordabat vita praedicantis. 2. Constanter adversus improbos, quos appellare non veretur *genimina viperarum.* 3. Materia maxime erat: *Poenitentiam agite,* quia illa potissimum ad Christi gratiam disponit, quam urgebat rationibus, quod *regnum Coelorum appropinquaret,* quod *securis esset ad radicem posita,* quod *ventilabrum in manu,* etc.

3. Cons. ingentem fructum, nam *exibat ad illum Jerosolyma et omnis Judaea, et omnis regio circa Jordanem,* etc.; idque nullo patrato miraculo: tantam vim persuadendi habet vita sancta, etc.

III.

Continuatio.

1. *Ne velicis dicere: Patrem habemus Abraham, quia potens est Deus de lapidibus istis*, etc. His verbis retundit Joannes Judaeorum superbiam, ut per humilitatem melius ad poenitentiam disponerentur. Deinde ostendit Deum non attendere generis claritatem, sed unumquemque judicare secundum opera et merita propria, adeoque ob perfidiam exscindendos Judaeos, etsi Patrem haberent fidelem, eorumque loco successuros gentiles, etc.

2. Cons. similem omnino esse vanitatem tuam, dum de virtutibus S. Ignatii, Xaverii aliorumque e Societate Sanctorum gloriaris; imo nunquam eorum deberes meminisse sine confusione, dum tam degenerem te vides, ut merito vereri possis ne Deus te repudiato de lapidibus istis, id est saecularibus, alios suscitet qui majore fructu locum tuum occupent, etc.

3. *Omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur*, etc. Cons. quam merito fructus et quidem bonus exigatur a te, tum ob locum fertilem in quo plantatus es, id est in S. Societate tum ob supervenientes imbres gratiarum, tum ob exempla arborum vicinarum, etc. Ad quid terram tot annis occupasti? etc.

IV.

De Legatione ad S. Joannem.

1. Cons. caecitatem Judaeorum. Christo non tantum asserente, sed et tot miraculis probante

se esse Messiam, non credunt ob communem quamdam exterius vivendi rationem, et ultro credunt de Joanne ob vitae austeritatem; et disce quanti judicium mundi faciendum sit, qui tantum ea videt quae foris sunt. Eatenus tamen scias etiam exteriora curanda esse, quatenus per haec proximus aedificatur, etc.

2. *Et confessus est et non negavit*, etc., *quia non sum ego Christus.* Hic primus humilitatis gradus est, aliena sibi non arrogare, sed prompte amoliri a se, et ei clare reddere cui debentur: quoties tu vana opinione virtutis, quam non habes, extolleris; aut si repudias, ita agis ut caeteri putent te id ex humilitate potius facere quam veritate?

3. Negat se Eliam aut prophetam, quod tamen admittere potuisset eo sensu, quo angelus et pater eum talem fore praedixerant; sed quia salva veritate poterat, etiam debita a se amolitur, tam ingeniosus in humilitate quam tu in ambitione tua. Et quidem siccissime respondet: *Non*, ne involutum responsum relinqueret suspicionem: atque hic secundus est gradus. Denique fatetur se vocem esse, sed Dei, omnia ad illum referens: qui tertius est gradus. Imitare, etc.

V.

De Baptismo Christi.

1. Cons. Christum, qui in circumcisione signum acceperat peccatoris, nunc etiam formam induere poenitentis, dum inter peccatores et publicanos ad poenitentiam baptizari vult a Joanne. Ubique humilis Jesus quod non est patitur haberi, cum

tu quod es, nempe peccator, non velis aestimari. Accedebant haec: 1. Ut per humilitatem se disponeret ad opus nostrae Redemptionis. 2. Ut baptismum Joannis approbaret. 3. Ut aquas in regenerationem nostram sanctificaret.

2. Jesu baptizato et orante, *apertum est Coelum et descendit Spiritus S. in specie columbae, et vox de Coelo facta est: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* His indiciis humiliatum Filium Deus Pater et Spiritus S. glorificare voluerunt. Hinc iterum disce te humiliare, et curam omnem honoris tui Deo committere.

3. Cons. affectum humillimi Jesu sic glorificati; hinc quodammodo dolebat jam aestimari se majori, et amplius ab hominibus honorari: inde gaudebat, quia videbat omnia ista redundare in gloriam Dei Patris et salutem mundi. Et disce non libenter audire laudes tuas, nisi ex his augeatur Dei gloria et sint ad exemplum et utilitatem proximi tui, etc.

VI.

De secessu in desertum.

1. Et statim *Spiritus expulit eum in desertum:* ita S. Marcus, ut ostendat eum statim impulsui Spiritus S. paruisse: nam *qui Spiritu aguntur, ii sunt filii Dei.* Paruit autem: 1. Ut doceret vitandum esse hominum plausum, cui tu tam libenter immoraris. 2. Ut ostenderet non satis esse si exteriora illo baptismo mundarentur, nisi etiam et multo magis curarentur interiora, etc. 3. Ut nos doceret paululum secedere ante actiones magni momenti, easque in isto secessu disponere, etc.

2. Cons. ad quae Spiritus S. Christum impellat:

non ad delicias, non ad honores, non ad commoditates corporis, sed ad secessum, ad fugam laudis humanae, ad jejunium, ad tolerantiam, ad humilitatem, ad pugnam cum Daemone, etc. Atque hinc disce stimulos quibus tu ad recreationes, ad honores, ad commoda tua impelleris, esse a malo spiritu: cui proinde resiste.

3. Cons. Christum, etsi illi periculum esse non posset succumbendi tentationi, tamen in exemplum praeparasse se, secedendo, jejunando et orando; ut discas: 1. Devitare occasiones, non ingerendo te negotiis periculosis. 2. Moderate uti cibo et potu, etc.: *Fratres, sobrii estote*, etc. 3. Incumbendo diligenter orationi, praesertim matutinae, ut illa tibi arma subministret, etc.

VII.

De tentatione Christi.

1. Cons. cur Christus tentari voluerit: 1. Ut per omnia nobis similis efficeretur, excepto peccato. 2. Ut disceret compati infirmitatibus nostris. 3. Ut tanquam Dux noster Daemonem nobis debilitaret. 4. Ut doceret nos modum resistendi. 5. Ut spem victoriae nobis faceret, etc. Hinc concipe fiduciam et animum superandi omnes tentationes tuas, maxime si tribus istis mediis, quibus Christus usus est, utaris.

2. Cons. tentationes ipsas: 1. Fuit gulae: *Dic ut lapides*, etc. Quam repellit sancto aliquo contemptu: *Non in solo pane*, etc. Quo contemptu similes carnales et viles tentationes superantur. 2. Fuit vanae gloriae: *Mitte te deorsum*; sed: *Non tentabis Dominum*, etc. Qui enim vanus est,

et volare vult, id est, extraordinaria coram hominibus operari, Deum tentat, etc. 3. Fuit idololatriae, ut videas nullum esse genus tentationum quod Diabolus ingerere non audeat, non dico homuncioni, sed ipsi Christo. Sed hic cum indignatione et detestatione resistendum est: *Vade, Satana*, etc.

3. Cons. fructum: *Et accedentes Angeli ministrabant ei.* Pro devicta gula, panis ab Angelis porrigitur. Pro vanitate volatus, Seraphini advolant. Pro adoratione Daemonis contempta, adorant Angeli. O si sic resisteres, quoties pro foeda voluptate reportares gaudium Angelorum! etc.

VIII.

Testimonium Joannis de Christo.

1. Satis Joanni non erat bene habere nomen Praecursoris, nisi etiam officio fungeretur. Unde oblata occasione de illo loquendi, cum summo gustu testatur: *Hic est, quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est*, etc. Ita tibi non sufficiat habere nomen Christiani, aut etiam Religiosi, Sacerdotis; sed multo magis Jesum praedica, illius honorem praefer honori tuo, et rebus quibusvis totius mundi.

2. Alias videns eum venientem ad se: *Ecce*, inquit, *Agnus Dei qui tollit peccata mundi*, etc.; ita ut nullam occasionem negligat eum praedicandi, laudandi, ostentandi, etc. Quoties tu, qui in laudibus tuis propagandis tam eloquens es, tam invide taces laudes aliorum, quasi illae ambitioni tuae aliquid decerperent? Imo quoties aperte aliquid illis detrahis, ut, conculcata proximi fama,

altius extollatur tua superbia? Lauda quod laudari potest in proximo; quod laudari non potest, sile.

3. Et jam Discipulis suis eum commonstrat, ut eos ad sequendum illum animaret. Disce tandem in omni loco et in omni tempore laudare Jesum, aliosque ad ejus imitationem excita. Quod ut melius facias, inquire varios modos inducendi colloquium spirituale tum domi, tum foris apud externos.

IX.

De Vocatione Apostolorum.

1. Cons. cur pauperes elegerit: 1. Quia pauper et paupertatis amantissimus. 2. Ut memores unde assumpti essent, continerentur in humilitate. 3. Ne pauperes desperarent, si viderent solos divites et honoratos electos esse a Christo. 4. Ut disceremus divitias et honores potius esse impedimento quam promotioni ad virtutem. 5. Ut Deo tota gloria conversi mundi attribueretur, non humanae potentiae, etc. Vide qualem te vocaverit, et gratias habe quod ex tot te per omnia melioribus.

2. Cons. diversos vocationis modos: 1. Aliquos sensim vocavit, ut Petrum et Andream, iis primo ad colloquium admissis. 2. Aliquos cum imperio, ut Matthaeum: *Sequere me.* 3. Aliquos spe retributionis, ut filios Z bedaei: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Vide quo modo et quam misericorditer te vocaverit, et confundere quod hactenus tam parum vocationi tuae responderis.

3. Cons. ad quid vocaverit: 1. Ut essent Apostoli et illius Legati. 2. Ut essent illius familiares, et

conscii secretorum coelestium. 3. Ut prae reliquis sanctificarentur. 4. Ut secum sederent judices. Atque haec tibi in Societate applica, etc.

X.

De modis sequendi vocationem.

1. Aliqui consentiunt quidem Deo vocanti, seu ad statum, seu ad perfectionem, sed medium nolunt adhibere. Placet Religio, sed non placet mundum mundanaque deserere. Placet humilitas et patientia, sed non placet humiliatio, et pati renuunt. De quibus jure dicitur: *Vult et non vult piger.*

2. Alii media quidem adhibent, sed suo judicio et arbitratu placentia, non quae praescribuntur, ut aegri nonnulli pharmaca. Talis juvenis, qui, jussus vendere omnia, abiit tristis. Talis Naaman Syrus, qui volebat ab Eliseo contingi, non lavari in Jordane. Scilicet ipsi media eligunt, nolentes uti oblatis.

3. Alii denique se offerunt, ad media omnia indifferentes, ut Apostoli, qui, statim relictis retibus et patre, id est omnibus, secuti sunt eum; et ut Saulus: *Domine, quid me vis facere?* nihil excipio, nihil mihi reservo; quidquid volueris, faciam: imo aliqui eo usque procedunt ut, si arbitrio eorum relinquatur ut possint Christum sequi in divitiis et honoribus, praeeligant paupertatem et contemptum, ut Duci suo fiant similiores. Vide jam in quo gradu consistas tu, an in velleitate tantum, an, si serio vis, excipias media quaedam opportuniora, an vero absolute nitaris ad perfectionem, etc

XI.

De Nuptiis in Cana Galilaeae.

1. Benignissimus Jesus non dedignatur interesse convivio nuptiali, ut captaret benefaciendi occasionem, nuptias honoraret, Discipulos miraculo confirmaret. Attende ejus modestiam et gravitatem etiam inter ista gaudia, et imitare, tanto tunc cautior quanto res est animae ob excessum periculosior.

2. Cons. benignissimum cor Ss. Matris videntis vinum deficere: *Fili*, inquit, *vinum non habent.* Quae ultro non rogata tam sollicita est, quid non faciet pro devotis sibi servulis? Hinc concipe fiduciam te quidvis per illam impetraturum: quo enim caeteris Sanctis est melior, eo de nostris commodis est sollicitior. Attende etiam brevem et nervosum orandi modum: sufficit tam bono Domino et tam potenti necessitates suas indicasse, maxime si intercedat patrocinium Matris.

3. *Quid mihi et tibi, Mulier?* id est, quid ad nos ista? in speciem quidem duriuscule, recte tamen: 1. Ut doceret non esse Deo praescribendum tempus juvandi, salvandi, etc. 2. Esse exuendum affectum carnis: unde B. V. M. nunquam Matrem compellasse legitur. 3. Ut daret Ss. Matri occasionem exercendi humilitatem et patientiam, quibus eam sciebat delectari, etc. Eodem affectu desolationes, ariditates et adversa a Deo excipe.

XII.

Continuatio.

1. *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Nota 1. Eximiam fiduciam B. V.: quid enim aliud dicere potuisset, si Christus spopondisset se facturum? Ita, repulsam passus, ne despera. 2. Lumen coeleste, quo intellexit requiri cooperationem illorum, ut fieret miraculum: *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.* 3. Docet nos quidvis impetraturos, si faciamus ejus voluntatem: nam et ipse *voluntatem timentium se faciet*, etc.

2. Christus tandem in gratiam Matris accelerat tempus faciendi miraculum, et aquam in vinum convertit: quanto Matris gaudio, quae videbat sic manifestari gloriam Dei et Filii sui! etc. Et adverte: 1. Sanctificationem Joannis, et primum miraculum hic factum esse interveniente Maria, ut discas et spiritualia et temporalia bona per illam sperare. 2. Implendas esse hydrias, id est, cor tuum aqua compunctionis, ut inde hauriatur vinum coelestis consolationis.

3. *Omnis homo primo bonum vinum ponit, et, cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* Cons. hanc esse consuetudinem diaboli, carnis et mundi, qui post momentaneas delectationes offerunt calicem tristitiae, anxietatis, scrupulorum, etc. Deus autem, contrario, *bonum vinum servat usque adhuc*, etc.

XIII.

De ejectis e templo.

1. Christus alias mansuetissimus videns vendentes et ementes in templo, accensus zelo honoris Dei quem super omnia amabat, mirabili auctoritate eos flagello ejicit: vere fortis dilectio et dura aemulatio! Tu contra, cum ne minimam quidem injuriam honori tuo inferri velis quin ulciscare, summas aliquando contumelias in res sacras, in Sanctos, in Deum potes dissimulare ob respectus nescio quos, humanos an diabolicos!

2. *Nolite facere domum Patris mei*, domum orationis, *domum negotiationis*, *speluncam latronum*. Cons. qui modo sensus sit zelotissimi Jesu, dum videt in templis Christianorum, ubi ipse corporaliter praesens est, non negotiationes tantum tractari, sed fornicationes et adulteria, tum oculis, tum lingua, etc.; ubi plures conveniunt ut videant et videantur, quam ut orent, etc. Hujus rei zelus te comedat, et quacumque potes ratione impedi, etc.

3. Cons. animam tuam esse domum Dei, templum Spiritus Sancti, a quo abesse debet profana negotiatio, tumultus passionum; sit mundum a culpis, quietum a perturbationibus, ornatum virtutibus. Hujus saltem templi zelus te comedat, imo ora Jesum ut ex hoc ejiciat quidquid ipsius oculis displicet, etc.

XIV.

De Nicodemo.

1. Cons. quantum valeat virtus et zelus honoris Dei ad conversionem animarum; nam Nicodemus, pharisaeus et Judaeorum princeps, hac ratione maxime inductus fuit ut Christum adiret: *Nemo enim*, inquit, *potest haec signa facere*, id est ejicere tanto fervore vendentes, etc., *nisi Deus fuerit cum eo*. Venit autem nocte: 1. Forte ob metum Judaeorum, qui respectus in incipientibus dissimulandus est. 2. Ut liberius cum Christo ageret, remotis arbitris, et sine interpellatione. Vide ne tu tempus importunissimum des collocutioni cum Deo, sive orationibus tuis.

2. Audi quam patienter illum Christus instruat, principio quidem obscurius aliquantum, ad retundendam pharisaicam superbiam; deinde, visa ejus humilitate rogantis et instrui volentis, clarius. Docet autem mysterium Baptismi sui: *Nisi quis renatus*, etc.; deinde Passionis: *Sicut Moyses exaltavit*, etc.; demum etiam Incarnationis: *Sic Deus dilexit mundum, etc.*

3. Cons. cur Christus potissimum haec mysteria illi proposuerit: 1. Quia maxime ad salutem necessaria. 2. Quia fontes et radices sunt caeterorum. 3. Quia, maxime duo postrema, fortissima sunt ut homines ad Christi amorem multum excitentur. His ergo maxime mediis utere ad te et alios accendendos, etc.

XV.

De altero Joannis testimonio.

1. Jesu jam cum suis Discipulis etiam baptizanti libenter cessit Joannes, alioque se contulit, ut discas libenter aliis tum in habitatione, tum in officio, tum in omni re cedere, maxime si te majores sint, et quibus te non debes aestimare majorem. Non cessavit tamen Joannes baptizare: 1. Ne videretur cessare, ex aliqua impatientia. 2. Quia per illud quaerebat Christo gloriam, dum baptizatos ad illum mittebat, etc. Ita tu honorem illorum, qui tibi praeferuntur, verbis et obsequiis adauge.

2. Discipuli Joannis, moti aliqua invidia quod major jam concursus fieret ad baptismum Christi, queruntur apud Joannem: *Qui*, inquiunt, *erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum*. Nota expressam ipsis verbis invidiam: 1. Non dignantur nominare, sed, *qui*, inquiunt. 2. *Cui tu testimonium*, etc.; quasi dicerent: Tenebatur te invicem honorare; et ecce. 3. Supra verum aggravant, dum dicunt: *omnes*. Hanc pestem tam scandalosam, tam inimicam Deo, cave.

3. Joannes contra arguit illos, et ostendit se, tanquam amicum Sponsi, gaudere vehementer de illius bono et gloria, optans minui, ut ille cresceret. Et hic verus zelus est non proprium gustum aut gloriam, sed Dei, quaerentis, etc.

XVI.

De Samaritana.

1. *Jesus, fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem.* Cons. Christum, animarum quaerendarum gratia, nulli labori parcere, circuire ad defatigationem, etc. Sciebat enim illarum pretium! Quod si tu expenderes, etiam iis conquirendis paulo magis adlaborares. *Sedebat autem sic*, non tam ad tollendam fatigationem, quam ut ibi Samaritanam venarētur; ut discas nunquam ita quiescere, quin aliquis ex otio tuo fructus redundet, etc.

2. Cons. fructuosum colloquium Christi cum Samaritana e re praesenti petitum, scilicet ab aqua quam Christus sitiens petit, illaque negante asserit se aliam *aquam* habere *vivam*, quam *qui bibit, non sitiet in aeternum*, quin *fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Quam tu gratiae applica, eamque affectuose postula, ut non sitias amplius aquam rerum terrenarum. Tandem se Messiam esse ei denuntiat: in quo adora benignitatem ejus se pauperi mulierculae et peccatrici manifestantis, et similium conversationem ne declina, etc.

3. Cons. subitam mutationem hujus mulieris: 1. Quae ante negaverat guttam aquae sitienti, jam et hydriam suam relinquit. 2. Quae ante vix sustinebat colloquium Christi velut Judaei, jam quotquot potest, eo invitat, etc. Signum ergo conversionis ejus in te, si et terram deseras, et alios ad Christi Deique amorem excites, etc.

XVII.

De piscatione Petri.

1. *Cum turbae irruerent in Jesum, conscendit naviculam Petri*, eaque paululum a terra reducta, docebat turbas: nempe a plebe et a terrenis ejus affectibus abstrahenda vita tua est, si velis illam recte docere. Deinde: *Duc*, inquit, *in altum, et laxate retia vestra.* Volebat enim illud obsequiolum liberaliter remunerari, ut scias te ne minimam quidem rem ad illius gloriam facturum sine mercede, etc.

2. *Praeceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Cons. eadem vere dicere posse: 1. Ethnicos philosophos, qui per noctem gentilitatis frustra laborarunt. 2. Peccatores, quorum opera obscura, mortua et sine merito. 3. Tepidos Religiosos, qui aut non habent rectam intentionem, aut sua tepide faciunt, vere laboris socii, sed non consolationis quam caeteri consequuntur, etc.

3. *Tantum piscium ceperunt, ut et rete rumperetur, et implerentur duae naviculae, et Petrus stupefactus exclamaret: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum.* Nempe hoc est habere Jesum secum; et in verbo illius et virtute, non propria, laxare rete: quidquid ergo faciendum est, spera te per Jesum perfecturum.

XVIII.

De Leproso mundato.

1. Cons virtutes Leprosi: 1. Reverentia, nam: *Procidens in faciem suam, rogabat eum.* 2. Fi-

des: *Si vis, potes me mundare.* Potentiam illius agnoscit, de bonitate non dubitat, sed timet ne ipse indignus sit tanto beneficio. 3. Resignatio, dum absolute non petit, sed solum aperit necessitatem suam. Quem ut imiteris, easdem virtutes pro necessitatum tuarum ratione exerce.

2. *Et extendens manum suam, tetigit eum:* 1. Ut ostenderet se legi Judaeorum non subesse. 2. Neque contagionem timere. 3. Ut doceret ad graviores morbos curandos subinde tactu opus esse. Tangitur autem spiritualiter morbidus, quando per adversitates, per castigationes a vitiis revocatur. O Domine, sic munda me, etc. Deinde dicit: *Volo, mundare,* approbans ipso curandi modo orationem Leprosi. Vide hic bonitatem ipsius et potentiam.

3. Curatus hoc modo mittitur ad sacerdotes, tum ut lex servaretur, tum ut illi per illud miraculum moverentur ad credendum Christo, tum denique ut disceremus etiam in nova lege peccata, contritione expiata, aperienda confessariis, etc. Ubique vero praedicat Jesum Leprosus, etc.

XIX.

De sedata tempestate.

1. *Ascendente Jesu naviculam, motus factus est magnus in mari.* Christus id permisit: 1. Ad Discipulos in humilitate continendos, qui forte vane sibi complacebant, quod Christum secum haberent in navi. Tu coram eo tanto magis te humilia. 2. Ut discerent nunquam esse securi: si enim eo praesente sic periclitabantur, qui futurum erat eo absente? 3. Ut doceret ordinarie gravis-

simas oriri tentationes principio conversionis, tum ab intrinseco ob perversos habitus et consuetudines; tum a Daemone qui praedam sibi dolet eripi, tum a sociis qui irrident et contemnunt, tum denique a Deo, ad meliorem purgationem et virtutem solidiorem.

2. *Domine, salva nos, perimus.* Excitandus nimirum Dominus (qui dormire videtur, et in tentatione dissimulare ob tepiditatem nostram) per breves et ferventes aspirationes: *Exurge, quare obdormis, Domine? Domine, vim patior, responde pro me. Domine, ad adjuvandum me festina,* etc. Nec dimittendus est, donec te aut a tentatione liberet, aut saltem ita assistat ut naufragium salutis non facias, sed facias de tentatione proventum.

3. *Quid timidi estis?* Me vehitis; ad gloriam meam spectat, ut non pereatis. Ita fiat, Domine: impera ventis et mari, tentationibus omnibus, sive ab intrinseco sive extrinsecus advenientibus, etc.

XX.

De Paralytico sanato.

1. *Christo docente, quatuor viri portantes paralyticum,* cum turbam transire non possent, per tectum eum demiserunt. Vide charitatem eorum erga morbidum, fidem erga Christum. Deinde considera paralysin tuam esse tepiditatem qua nervi omnes animae resoluti quiescunt ab operationibus virtutum; ut haec curetur, quatuor bajulis opus esse: 1. Timore gehennae. 2. Spe gloriae. 3. Amore Dei. 4. Amore proximi. Haec enim mature considerata nervos reparant.

2. *Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Benignissimus Jesus petenti salutem corporis ultro offert etiam salutem animae: 1. Ut doceret Pharisaeos se etiam habere potestatem dimittendi peccata, etc. 2. Ut ostenderet saepe infirmitates corporales esse poenam peccatorum, neque curari posse nisi his sublatis. 3. Ut scirent se principalius venisse ad animas curandas quam corpora. Tu animam etiam potius cura quam corpus, etc.

3. *Surge ita erectus* per puram intentionem. *Tolle lectum tuum*, tolle commoditates et solatiola terrena, etc. *Et vade* per viam mandatorum et consiliorum. Quae signa si in te reperis, jam a paralysi liber es, etc.

XXI.

Christus se et Discipulos tuetur.

1. Christo apud Matthaeum jam conversum comedente, invadunt illum Pharisaei, et Discipulis ejus exprobrant: *Quare cum peccatoribus manducat Magister vester?* ea intentione ut Discipulos ab eo averterent, etc. Sed causam suam tuetur Christus, dicens: *Non esse opus bene habentibus medico, sed male habentibus*, et se *venisse vocare non justos, sed peccatores:* inter quos quia primus es, ora ut te curet et vocet, etc.

2. *Tunc accesserunt Discipuli Joannis*, et apud eum *Discipulos accusant: Quare nos et Pharisaei jejunamus frequenter, Discipuli autem tui non jejunant?* Nota superbiam et invidiam illorum, auctam jam a conversatione cum Pharisaeis: ut discas societatem malorum, maxime cum aliis de-

trahunt, fugere, et non tam attendere quid alii faciant aut omittant, quam quid te facere aut omittere oporteat.

3. Causam Discipulorum suorum Christus defendit, adducta: 1. Similitudine nuptiarum, in quibus, qui cum sponso sunt, non jejunant. 2. Quia recens pannus non assuitur veteri. 3. Quia vinum novum non mittitur in utres veteres, etc. Quibus ostendit se tum aliam perfectionem requirere a suis Discipulis, tum eos adhuc ut tirones diserte exercendos donec assuescant durioribus, etc.

XXII.

De secessu in montem.

1. Cons. cur exierit in montem: 1. Ut daret locum irae, qua ob responsiones paulo ante datas inflammati erant Pharisaei et Discipuli Joannis. 2. Ut nos doceret ex magnificis operibus vanam gloriam declinare. 3. Ut disceremus post opera vitae activae recipere nos ad contemplationem. 4. Ut ostenderet praedicatores aliis praeeminere debere sublimitate perfectionis, juxta illud: *Ascende in montem, qui evangelizas Sion*; non vestigiis corporalibus, sed factis sublimioribus.

2. *Et erat pernoctans in oratione* Dei. Cur? 1. Non ut pro se, sed pro te obsecret; et quid te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat? 2. Ut exemplar nobis ostenderet recte orandi, dum orat in monte, extra tumultum populi, ne mens et distrahatur, et periculo vanae gloriae exposita sit. 3. Ut nos doceret ante opus magni momenti orare, ante electionem suorum Apostolorum ipse oravit. 4. Oravit nocte,

quia opportunissimum illud silentium est ad orationem. 5. *In oratione Dei*, quia petebat Deo placita, etc.

3. *Mane vocavit Discipulos suos, et elegit ex eis duodecim, inter quos et Judas Iscariotes qui fuit proditor*, ne de electione et vocatione vane glorieris, sed in perpetuo metu sis ne et tu fias aliquando proditor, etc. Bonus sine dubio tunc erat Judas, et te melior; si perverti ipse potuit, et tu potes, nisi te gratia Dei sustentet.

XXIII.

De Sermone ibidem habito.

1. Docet in monte, quia perfectissimus summam perfectionem: quid tu in terra stans, terrenis rebus affixus, doces coelestia? aut ubi stas, inde loquere; aut unde loqueris, ibi sta. Sunt enim quorum sermones, si audimus, diceremus in coelo stare; si mores inspicimus, videmus haerere in coeno vitiorum, proximos barathro perditionis, veri Luciferi, qui verbis exaltant solium suum, vita autem se praecipitant in infernum, etc., dum quam bene sciunt, tam male faciunt.

2. Docet Christus verus et unicus Magister noster, neque agit personam tantum Doctoris, sed etiam Legislatoris et Consiliarii. O doceat ille te, non mundus, non prudentia carnis! qui ita doceat ut simul illuminet intellectum et affectum inflammet, ad ea generose peragenda quae docentur.

3. Docet beatitudinem quam omnes appetunt, quam philosophi tanto studio, sed frustra, indagarunt; et docet beatitudinem acquisitu facilem: quis enim non potest esse pauper et humilis? quis

non esurire et sitire? quis non persecutiones pati, quae quotidie tam copiose se ingerunt? Mundus quidem divitias, honores, caeteraque commoda proponit; sed vide quis falli potius possit, an mundus, an Deus, et quem te sequi deceat, etc.

XXIV.

De prima Beatitudine.

1. *Beati pauperes spiritu.* Actus hujus paupertatis sunt quinque: 1. Cum quis mavult omnia perdere, quam Deum offendere. 2. Cum quis omnia relinquit, ut Christum sequatur. 3. Cum quis humiliter de se sentit, et optat alios ita sentire. 4. Cum quis etiam judicio et propria voluntate se spoliat, ea aliis subjiciendo. 5. Qui intime agnoscit omnia dona naturae et gratiae esse a Deo, et a se nihil esse, nisi nihilum et peccatum. Vide an ad aliquem horum graduum perveneris.

2. Cons. exemplum Christi: 1. Cum Deum offendere ipse non posset, voluit vitam perdere, ut nobis offensus placaretur. 2. *Cum dives esset, propter nos egenus factus est.* 3. *Si quaero,* inquit, *gloriam meam, gloria mea nihil est;* et: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* 4. *Non veni,* inquit, *facere voluntatem meam, sed Patris,* etc. 5. *Doctrina mea,* ajebat, *non est mea,* et nihil se facere posse a semetipso.

3. *Quoniam ipsorum est regnum Coelorum:* 1. *Regnum,* quia pauperes spiritu vere dominantur animae suae, neque oppugnantur rebellione cupiditatum, quas divitiae et honores secum afferunt. 2. *Regnum Coelorum:* vide quanta bona pro

caducis et inanibus bonis promittuntur, et spirituali quadam avaritia haec contemne, ut ea obtineas, etc.

XXV.

De secunda Beatitudine.

1. *Beati mites.* Mititas tres actus habet: 1. Fraenat iram et appetitum vindictae, ut necessarias castigationes faciat, sine ulla perturbatione externa aut interna. 2. Alloquio et moribus reddit suavem, et nulla in re aliis molestum. 3. Mala ab aliis illata libenter tolerat, neque, cum potest et licet, justa defensione utitur; sed ad haec magna humilitate opus est, ut proinde merito praemisisse Christus videatur: *Beati pauperes spiritu.*

2. Exemplum Christi, de quo Isaias: *Non erit tristis, neque turbulentus; non clamabit, neque audietur vox ejus foris; calamum quassatum non conteret, et lignum fumigans non extinguet.* Et S. Petrus: *Cum malediceretur non maledicebat,* etc. Talis fuit in ferendis opprobriis Judaeorum, talis in absolutione Adulterae, in Magdalenae defensione, etc.

3. *Quoniam ipsi possidebunt terram:* 1. Terram cordis sui in pace et tranquillitate, quam ira potissimum perturbat. 2. Etiam corda aliorum; nam qui opera sua in mansuetudine perficiunt, super hominum gloriam diligentur. 3. Terram viventium, id est, Coelum haereditabunt: et vide illud ipsum a Christo promitti mitibus, quod mundus aestimat a mitibus perdi. Hos enim putat velut pigros, socordes et pusillanimes, ab omnibus contemni, spoliari, perdi. Sed tu Christo crede, etc.

XXVI.

De tertia Beatitudine.

1. *Beati qui lugent:* 1. Ex compunctione defientes propria peccata et propensionem ad peccandum: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* 2. Ex compassione, lugentes peccata aliena. 3. Ex devotione, dum vident se summis Dei beneficiis respondere non posse. 4. Ex desiderio vitae aeternae: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* etc. Et cogita quam merito ista lugeantur, et quam male lacrimas nostras aliis, jacturae bonorum, honoris impendamus, etc.

2. Exemplum Christi, qui nunquam risisse, sed flevisse saepius legitur, ut, *videns Civitatem* desolandam, *flevit.* Et Lazarum suscitaturus, motus lacrimis praesentium, ipse etiam lacrimatus est. Denique, ante Passionem luxit usque ad sudorem sanguineum.

3. *Quoniam ipsi consolabuntur:* 1. Consolatione spirituali in hac vita, quae consolatio superat omne solatium terrenum. 2. In Coelo, ubi gaudium et laetitiam obtinebunt; sicut, e contrario, hic gaudentium risus dolore miscetur, et *extrema gaudii luctus occupat:* luctus ab ariditate et remorsu conscientiae; et postea quantum hic in deliciis fuerunt, tantum dabitur illis tormentorum et luctus.

XXVII.

De quarta Beatitudine.

1. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Esuries et sitis justitiae perficitur his actibus: 1. Ut, sicuti famelicus et sitiens nullum cibum aut po-

tum detrectat, ita hic nullus actus virtutis declinetur, quantumvis amarus, et sensualitati repugnans videatur. 2. Ut iste majore gustu comedit et bibit, ita hic majore solatio interno. 3. Ut illi melius in substantiam convertitur cibus et potus, ita huic in majorem gratiam et gloriam. Attende nauseabundum stomachum tuum, et causas inquire, conferendo cum iis qui cibos nauseant. Nota etiam cibum esse salutem proximi, etc.

2. Exemplum Christi dicentis: *Cibus meus est ut faciam voluntatem Patris mei*, etc.; et: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor?* etc.; deinde in Cruce: *Sitio.*

3. *Quoniam ipsi saturabuntur:* 1. Quia justi aliena non appetunt, suis contenti. 2. Saturabuntur divinis consolationibus, adeo ut lubeat aliquando exclamare: «Satis est, Domine, satis est!» quod S. Xaverio accidit. 3. Denique tandem, *inebriabuntur ab ubertate domus Dei*, et satiabuntur cum apparuerit gloria ejus; sicut, e contrario, dictum est iis qui se hujus mundi oblectamentis satiant: *Vae vobis qui saturati estis, quia esurietis;* ut ille epulo, qui guttam aquae frustra petebat, etc.

XXVIII.

De quinta Beatitudine.

1. *Beati misericordes,* qui tum corporalia, tum maxime spiritualia misericordiae opera erga proximum exercent. Circa quae attendendum: 1. Ut nemo excludatur, ne inimicus quidem, et non sit acceptio personarum; sed, uti Deus *pluit super bonos et malos, et solem suum oriri facit super*

justos et injustos, ita vere misericors sis erga omnes: alioquin, si tantum erga hanc nationem, erga hoc genus hominum, erga talem statum, etc., saepe potius carnalitas, ambitio, avaritia est. 2. Ut exhibeatur misericordia ex vero compassionis affectu, et intentione pura, non spe lucri aut gratiae humanae. 3. Si juvare opere ipso non possis, saltem pro istis Deum ores, etc.

2. Exemplum Christi, qui, ut miseris succurreret, de Coelo descendit, et *pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo*, etc., et *oravit pro crucifixoribus suis*, etc.

3. *Quoniam misericordiam consequentur*, juxta illud: *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis; et remelietur mensura* omnino *plena, et conferta, et coagitata*, non tantum in altera vita, sed etiam saepe in hac: et quantillum est, si levem injuriam proximo dimittis, ut Deus tibi dimittat gravissimas; si pauxillum aeris eroges in pauperem, aliquid opis in egentem, ut subsidia maxima, ut regnum Coelorum recipias! Audietur enim aliquando illa vox: *Venite, benedicti*, etc. *Esurivi enim*, etc.

XXIX.

De sexta Beatitudine.

1. *Beati mundo corde.* Mundities haec, non castitatis tantum, sed etiam charitatis est, in qua haec tria requirit Paulus, I. Timoth. 1: 1. *De corde puro*, experte peccati mortalis, etiam venialis, saltem quoad affectum et habitudinem. 2. *Conscient a bona*, sanctis cogitationibus et affectibus plena, abstersis contrariis, quae cor turbidum reddunt.

3. *Et fide non ficta,* non simulate servierdo Deo, aut ob respectus humanos, sed sincere et pure, utendo etiam eadem sinceritate erga homines. Atque has qualitates vides etiam reperiri in speculo puro, nempe ut careat bullis, pulvisculis et maculis, ut bene politum tersumque sit, ut nec augeat nec minuat, etc. An et in corde tuo?

2. Exemplum Christi, qui nec peccare potuit, nec argui de peccato, in quem Satan nec per suggestionem aliquid potuit, qui fictos maxime increpavit, vocans eos *sepulcra dealbata,* etc.; denique, qui est *candor lucis aeternae et speculum sine macula.*

3. *Quoniam ipsi Deum videbunt:* 1. In hac vita, per contemplationem. 2. In altera, per essentialem beatitudinem. Sicuti, e contrario, hic in malevolam animam non introibit sapientia. Et: *Eo nihil intrabit coinquinatum,* etc.

XXX.

De septima Beatitudine.

1. *Beati pacifici:* 1. Secum, ut caro spiritui, et passiones rationi subjectae sint. 2. Cum aliis, juxta illud: *Quod ex vobis est, pacem cum omnibus habentes.* 3. Inter alios, uniendo dissidentes. 4. Efficiendo, ut tam ipse quam alii per bonam voluntatem Deo consentiant.

2. Exemplum Christi, qui e Coelo venit ut hanc pacem nobis conciliaret, et in cujus nativitate Angeli cecinerunt: *In terra pax hominibus bonae voluntatis;* qui deinde saepius eam suis Discipulis precatus est: *Pax vobis;* et ut illi, quocumque irent, eamdem precarentur, jussit; denique: *Per*

sanguinem suum omnia pacificavit, sive quae in terris, sive quae in Coelo, vere Rex pacificus.

3. *Quoniam filii Dei vocabuntur* et erunt: 1. Quia sicut Deus Pater et Deus Filius unum sunt per naturam, ita pacificus et Deus unum sunt per gratiam. 2. Quia his merito communicatur honor filiationis, qui Patris actus imitantur: Dei autem actus est congregare quae dispersa sunt et pacificare repugnantia, quod et illi faciunt. 3. Quia pacifici Deo similes sunt, dum in illis nihil est quod ab ejus placito dissentiat: *Si autem filii, et haeredes regni* ejus, cujus possessionem etiam hic praegustant in continua pace et tranquillitate, etc.

XXXI.

De octava Beatitudine.

1. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Si quis* enim *patitur, ut homicida, aut fur, aut maledicus,* non jam beatus est, sed suo merito miser. Attendendum ergo: 1. Ut innocens patiaris. 2. Ut quamcumque persecutionem feras, a quocumque illa inferatur: nec dicas: Si talis vel talis maledixisset mihi, sustinuissem utique, sed ab illo pati non possum, sciens quod etiam ab illo corona tibi texatur. 3. Ut patiaris gaudens et exultans, *quoniam merces* tua *copiosa est in Coelis.*

2. Exemplum Christi, qui, cum innocentissimus esset, non dedignatus est vocari blasphemus, *seductor populi, vini potator, daemonium habens,* etc.; et tandem probrosissime cruci affigi. Deinde persecutionem passus est, a Satana, a Pha-

risaeis, a Discipulis, quorum praecipuus illum negavit, alter prodidit.

3. *Quoniam ipsorum est regnum Coelorum:* nempe via Crucis est regia ad Coelum via, quam Christus et Sancti omnes trivere. Non ergo credamus esse *condignas passiones hujus saeculi ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.* Et certe, si *oportet Christum pati, et ita intrare in gloriam suam*, an alio nos jure volumus intrare in gloriam alienam? Est et aliud praemium in hac vita, nempe solatium internum, dum quis videt sic se assimilari capiti suo Christo, quem mundus *priorem odio habuit*, etc.

XXXII.

De triplici qualitate virorum apostolicorum.

1. *Vos estis sal terrae; quod si sal evanuerit*, etc. Prima ergo qualitas est, sicut sal inordinatos humores exsiccat, a corruptione, putredine et foetore praeservat, cibis saporem conciliat: ita vir apostolicus tum in se tum in aliis exsiccat omnem humorem malae concupiscentiae, aufert corruptionem et foetorem peccati, putredinem luxuriae, efficitque ut quae alioquin aspera et insipida videntur in vita christiana, reddantur placentia.

2. *Vos estis lux mundi.* Secunda proprietas viri apostolici est ut eos, quos a corruptione peccati liberavit, illustret luce doctrinae, dissipando tenebras haeresum, errorum, malarum aut minus rectarum opinionum, dirigendo omnia ad Deum velut finem, etc.; et uti *non accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio*, ita cavendum est ne quis talentum quod habet a Deo docendi, concio-

nandi, omnino sepeliat, aut aliquando ob respectus humanos contineat, etc.

3. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Tertia proprietas viri apostolici est ut non sit solitarius, neque sibi tantummodo vivat, sed in fastigio virtutum et perfectionis constitutus sit, caeteris non tantum praedicator, sed etiam norma et exemplar vivendi, ut videant opera illius bona, et glorificent Patrem coelestem. Vide an hasce proprietates habeas, et quam periculosum iis carere.

XXXIII.

De perfectione evangelica.

1. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum Coelorum.* Scribae et Pharisaei erant primi Judaeorum, et censebantur inter eos perfectissimi: tamen vult Christus Christianos his omnibus esse sanctiores: 1. Quia illi praecepta servabant ob res temporales, nos autem decet ob aeternas et coelestes. 2. Illi tantum ab operibus externis malis abstinuerunt, nos etiam internum affectum abstrahere debemus. 3. Plerumque ob inanem gloriam servabant, nos decet recta ferri intentione propter Deum. Perpende quam merito Deus plura a nobis exigat quam a Judaeis, ob beneficia majora et gratiam abundantiorem; quo etiam jure plus a te requirit quam a saeculari aliquo, etc., etsi fateri debeas te in pluribus saepe superari, etc.

2. *Dictum est antiquis: Non occides*, etc. *Ego autem dico vobis: Qui irascitur fratri suo*, etc.

Vide in nova lege non homicidium tantum, sed etiam iram maxime prorumpentem in contumelias et injurias iisdem poenis prohiberi, itaque Deo displicere, ut nolit sibi sacrificium offerri, nisi facta prius reconciliatione, etc.

3. *Dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem*, etc. Ut discas non satis esse abstinere ab actuali fornicatione, nisi etiam oculos et cor mundum serves, occlusis sensuum portis, sine qua custodia muri Religionis in qua te recepisti non satis tuebuntur, etc.

XXXIV.

Continuatio.

1. Ut doceat Christus debere nos evitare omnes peccandi occasiones, subjungit etiam oculum dextrum eruendum, et manum dextram abscindendam, si nos scandalizent: id est, nihil nobis debere esse tam carum quod non statim a nobis amoveamus, si nobis est occasio peccandi, cum praestet illa perire quam nos per illa deduci in gehennam ignis. Vide ergo quae tibi occasiones periculosae sint, easque generose amove, etc.

2. Docet malis non resistendum, sed cedendum esse; imo percutienti dextram maxillam, praebendam esse alteram, et tollenti pallium relinquendam et tunicam, quia injuriae aliorum optime per patientiam castigantur; et sicut ignis igne non extinguitur, sed aqua, sic injuriae non compescuntur injuriis, sed patientia et humilitate, sed beneficiis in offendentem impensis.

3. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui*

oderunt vos, et orate pro persequentibus vos. Praemium: *Ut sitis filii Patris vestri qui in Coelis est, qui solem suum oriri facit super justos et injustos.* Quid majus expectare potes ut omnes diligas? Si enim tantum diligis eos qui te diligunt, quam mercedem habebis, cum hoc etiam pessimi quique faciant? Ut ergo hos superes, dilige et inimicos, etc.

XXXV.

De fuga vanae gloriae.

1. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis:* 1. Attendite, tum quia subtile vitium est vana gloria, dulcis spiritualium opum spoliatrix, jucundus animarum hostis, tinea virtutum, etc., quae sine attentione non advertitur; tum quia justitia nostra veluti thesaurus noster est, cui daemon velut latro insidiatur: depraedari desiderat, qui thesaurum publice portat in via; tum denique quia homines, ipsi bona opera videntes, facile insurgunt in laudes operantis; eaque ratione, nisi is sibi attendat, in vanam aliquam sui complacentiam erigitur.

2. *Ne justitiam vestram,* id est, quamcumque bonam virtutis operationem. Nota Christum, postquam docuisset mala vitare et bona agere, docere ne de bonis inaniter gloriemur: sicut enim zizania ab inimico seminata non creverunt nisi crescente tritico, ita vana gloria neminem vexat, nisi bene operantem; et sicut piratae solventem e portu navem vacuam non aggrediuntur, sed revertentem et mercibus onustam: ita daemon, etc.

3. Non prohibet fieri coram hominibus, cum id

saepe necessarium sit et utile; sed ita fieri coram hominibus, ut videamur ab eis, id est, ut illis placeamus et apud illos laudem captemus: nam alioquin mercedem nullam habebimus apud Deum, cujus gratia nihil fecimus. Sed, o vanitas! etc.

XXXVI.

Continuatio.

Christus docet vanam gloriam potissimum esse fugiendam in tribus justitiae operibus: eleemosyna, oratione, jejunio.

1. *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te*, etc.; imo, *nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua*, id est, non admisceatur intentioni bonae placendi Deo, intentio mala etiam placendi hominibus: 1. Quia alias perdes quod tuum est, et nihil mereberis alienum. 2. Quia, sic donando tuum, furaris alienum, nempe honorem Dei. 3. Quia videri vis liberalis, et dolose gloriam emis. 4. Quia maxima mercede te spolias, et, ut videaris a tribus aut quatuor hominibus, privas te ea beatitudine qua Deus olim te toti mundo manifestasset, etc. Applica haec etiam eleemosynae spirituali.

2. *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum*, etc. Non vetat publicas orationes, sed illas ita fieri vult ut nihil publicae aut humanae laudis aucupemur: 1. *Intra in cubiculum tuum*, id est, ante orationem te recollige et praepara animam tuam, ne sis veluti tentans Deum. 2. *Clauso ostio* orat qui causas distractionum removet: et quomodo a Deo audiri vult, qui in tantis turbis distractionum se non audit!

3. *Cum jejunas, unge oleo caput tuum, et faciem tuam lava:* id est, singulari laetitia dissimula jejunium tuum, ut a Deo teste mercedem accipias, etc.

XXXVII.

De minuenda cura rerum temporalium.

1. Quia temporales res et terrenae indignae sunt ob vilitatem, et quia subjectae corruptioni sunt; nam ibi aerugo et tinea demoliuntur, et fures effodiunt et furantur. Et nos immortalem animum nostrum his tam fluxis rebus impendimus! eadem scilicet dementia qua rex aliquis, neglectis regni negotiis, suos porcos pasceret; aut mercator aliquis prae auro aes, et prae gemmis vitrum, solliciте compararet. Coelestia et aeterna bona spectanda sunt; thesaurum in Coelo: nam stultitia est illic thesaurum reponere unde exiturus es, et illuc non praemittere ubi semper victurus es.

2. Quia animus humanus non est capax ut simul serio intendat rebus temporalibus et coelestibus; nam: 1. *Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum.* Amor enim tendit in id quod amat, juxta illud: «Amor meus, pondus meum; huc feror, quocumque feror.» Qui ergo amat res terrenas, etc. 2. Quia *nemo potest duobus dominis servire, Deo et mammonae,* non magis quam uno oculo coelum aspicere, et altero terram; unde dicitur: *Si oculus tuus simplex fuerit,* etc. Elige jam cui servire praestet, etc.

3. Quia *Deus volatilia coeli pascit, et vestit lilia agri, quanto ergo magis vos modicae fidei! Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus.*

et haec omnia adjicientur vobis, etc. Sollicitudinem ergo omnem in tam benignum et liberalem Patremfamilias conjice: ipse providebit.

XXXVIII.

De vitando temerario judicio.

1. *Nolite judicare.* Cons. temerarium judicium solere oriri aut ex superbia, qua quis se aliis meliorem aestimat, instar Pharisaei illius qui se Publicano praeferebat, judicans illum injustum, adulterum; aut ex invidia qua aegre ferimus alios nobis aut doctiores, aut sanctiores esse, aut haberi, ideoque quaecumque possumus eorum dicta factaque interpretamur in pejorem partem, ita litantes invidiae nostrae famam et innocentiam aliorum.

2. Cons. quam periculosum sit tale judicium: 1. Ob errorem, cui manifeste nos exponimus: *Cor enim hominis inscrutabile est*, et soli Deo patet, cujus idcirco solius etiam est judicare; nos caeci sumus etiam in propriis nostris intentionibus scrutandis, et credimus nos pervidere posse voluntates aliorum. 2. Ob poenam: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis*, non a Deo tantum vindice, sed etiam hominibus, apud quos Deus plerumque patitur tales sinistris etiam suspicionibus laborare, et vere etiam subinde labi in eos defectus quos temere aliis affinxere.

3. Cons. remedia: 1. Se inspicere et suos defectus: *Quid enim vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non consideras?* 2. Vel id quod judicas bonum est, aut dubium, aut manifeste malum: si bonum, summa nequitia

est illud malum judicare; si dubium, charitas exigit ut in meliorem partem interpreteris; si malum, excusa ab ignorantia, ab intentione, a surreptione, a gravi tentatione, etc.

XXXIX.

De Oratione.

1. Christus postquam multa et varia praecepta Discipulis sui tradidisset, et quidem difficilia quaedam, docet illos modum eo perveniendi, et acquirendi per orationem: nam *pietas ad omnia utilis est.* Cons. ergo: 1. Quam medium illud sit facile, quia omni tempore et omni loco orari potest: non enim Deus instar principum negat unquam aut differt audientiam, sed semper et ubique paratus est nos audire. 2. Est medium certum, quia promisit: *Quidquid orantes petieritis, accipietis. Benedictus* ergo *Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me.* Ascendit enim hominis deprecatio, et descendit Dei miseratio.

2. Conditiones bonae orationis Christus docet, dum ait: *Petite, et accipietis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Petite* fervenier, *quaerite* diligenter, *pulsate* perseveranter: ut oratio sit fervida, non tepida; diligens, non distracta; perseverans, non desperans. Item *petite* per fidem, credendo quod Deus possit facere. *Quaerite* per spem, sperando quod velit. *Pulsate* per charitatem, insistendo bonis operibus.

3. Spem accendit: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris,* etc. Auget perseverantiam, adducta similitudine ejus qui tres panes commodat, victus importunitate, etc.

XL.

Pater noster, qui es in Coelis.

1. Cons. excellentiam Orationis Dominicae, tum quia Christus ipse illam composuit, et nos illam docuit, qui maxime sciebat quid et quo modo petendum esset; tum quia omnia continentur quae ad salutem spectant animae et corporis; tum quia per illam facilius Deus Pater exoratur, dum in ea agnoscit Filium suum advocatum nostrum, et auctorem hujus quasi libelli supplicis. Et si promisit se nobis daturum quidquid petierimus in nomine ejus, quid negabit dum petimus etiam forma quam ille nobis praescripsit?

2. *Pater noster.* 1. Dicimus patrem, quia talis est creatione, conservatione, adoptione: deinde, ut magnam fiduciam habeamus ad petendum, et spem largam ad impetrandum. Quid enim jam non det filiis petentibus, quibus ante dedit ut filii essent? si modo filiorum partes rite exequamur: amando, honorando, obediendo; neque nobis objici possit quod Christus Judaeis: *Vos ex patre diabolo estis,* etc. 2. *Noster,* non meus, tum ut admoneremur nos tanquam fratres magna charitate conjunctos esse debere, neque unus alteri se propter temporalia praeferat, cum omnes coelesti nobilitate conjungamur; tum ut sciremus etiam pro aliis esse orandum: nam pro se orare natura et necessitas cogit, pro altero autem gratia et charitas, etc.

3. *Qui es in Coelis.* Ut discamus non temporalia solum, ut Judaei, sed multo magis coelestia postulare, eoque erigamur unde speramus auxilium, etc.

XLI.

Sanctificetur nomen tuum.

1. Cons. petitiones omnes recte dispositas esse secundum ordinem verae charitatis, quae est ut Deum super omnia, et deinde proximum sicut nos ipsos diligamus. Unde: 1. Bonum desideramus ipsi Deo, non quod ipse eo indigeat, cum sit *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, sed quod optemus ut talis ab omnibus agnoscatur. 2. Deinde petimus nobis et proximis bona coelestia, tum animae, tum corporis. 3. Denique postulamus etiam averti mala, tum culpae, tum poenae, etc. Hic igitur ordo tibi in omnibus orationibus tuis propositus sit.

2. *Sanctificetur:* 1. Corde, per fidem, agnoscendo illum fontem bonorum omnium, vindicem malorum, ut illum ames et metuas. 2. Opere, per bonam vitam et bona opera, quibus proximus aedificetur, et Deum inde glorifices. 3. Verbo et piis sermonibus, alios ad Dei amorem timoremque stimulando; quod profecto et cum gustu quodam faceres, si vere, ut par est, amares tantam et tam beneficam Majestatem. Nihil enim gratius amanti, quam loqui de amato, etc. 4. Invitando creaturas omnes ad ejus laudem, uti vides fecisse tres pueros cantico illo laudis, et Davidem ubique per psalmos.

3. *Nomen tuum.* 1. Nomen, id est, quidquid ad Deum spectat, non permittendo ut ulla illi injuria aut irreverentia inferatur. 2 *Tuum*, non meum: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* At, e contrario, quam facile pateris Dei nomen laedi et blasphemari, qui ne minimum quidem contra tuum honorem pateris! etc.

XLII.

Adveniat regnum tuum.

1. Regnum Dei est regnum gratiae, quo regnat in animabus justorum qui illi voluntarie subsunt, obedientes omnibus legibus et praeceptis ejus; de quo dicitur: *Regnum Dei intra vos est.* Cons. ergo quale regnum in te sit: an Deus per gratiam suam, an vere diabolus per peccatum regnet et dominetur in te? Et postquam comparaveris tyrannidem hujus cum suavi et pacifica illius gubernatione, tum te Regi et legitimo Domino restitue, substernens illi omnes animae tuae facultates, etc.

2. Regnum Dei est regnum gloriae, quo per bonam vitam et felicem mortem merito anhelas tanquam exul ad patriam, et nauta ad portum securum, non solum ob innumera hujus vitae, viae et navigationis pericula et incommoda, ob persecutiones foris, corporis aegritudines, animi timores et tentationes, ut ille qui clamabat: *Infelix ego homo! quis me,* etc.: quod ex amore concupiscentiae orietur, sed multo magis ex sincero amore amicitiae erga Deum, cui hic servire, quem honorare et sanctificare satis non potes, quo sensu orabat ille: *Jube me venire ad te,* ut cum Sanctis tuis laudem te, etc. Et alter: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo,* etc.

3. Regnum Dei est regnum perfectum, et consummatum post resurrectionem mortuorum, *quando Deus erit omnia in omnibus,* etc. Quod expectant animae, uti participarunt poenitentiam, etc.

XLIII.

Fiat voluntas tua, sicut, etc.

1. Quia regnum Dei quo anhelamus acquiri non potest nisi in hac vita voluntatem Dei facias: *Non* enim, inquit, *omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in Coelis est.* Ideo petis gratiam adimplendi in omnibus ejus voluntatem, et beneplacitum: continetur autem haec in illius praeceptis, consiliis et inspirationibus, etiam jussionibus et nutibus eorum qui tibi praesunt Dei nomine, etc.

2. *Tua:* id est Dei, non propria, quae et caeca et perversa est; non carnis, quae contraria spiritui; non mundi, quae vana; non diaboli, quae iniqua; sed Dei, quae est regula rectitudinis et secundum quam errari non potest: quam etiam ut faceret Christus, venisse se testatus est. Vide quam tu hactenus parum securus sis, etc.

3. *Sicut in Coelo et in terra:* 1. Pro coelo accipiendo mentem rerum coelestium capacem, et pro terra carnem quae de terra est et circa terrena versatur, ut sensus sit: ne carnis infirmitas impediat spiritum, quominus prompte divinam faciat voluntatem. 2 Coelum sint justi, terra peccatores; eritque sensus, ut sicut justi Dei voluntatem faciunt, ita tandem etiam faciant peccatores. 3. Sicut in Coelo Angeli promptissime sine ulla tergiversatione obediunt Deo, ita nos faciamus in terra, cum perfecta resignatione nos ejus voluntati semper et ubique accommodantes, etc.

XLIV.

Panem nostrum quotidianum, etc.

1. *Panem:* per panem intelliguntur omnia victui vestituique necessaria, non superflua et ad luxum tantum inventa, quae adeo Christus nos petere non docuit, ut etiam voluerit contemni et relinqui, velut seminaria malorum omnium: nos autem *habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Vult autem peti panem quotidie, etsi contingat non deesse, ut fateamur id Dei beneficium esse, quod non desit: itaque quotidie auctori et largitori grati simus, etc.

2. *Nostrum:* 1. Ut discerent fideles panem illum debere esse communem indigentibus, ut saltem pars aliqua ad illos perveniat; qui enim nihil largitur aliis, aut orare non debet panem nostrum, sed meum; aut non tantum manducat panem suum, sed etiam alienum. 2. Ut scirent injuste talia comparari non debere; injustorum enim panis non est suus, sed alienus. Tu, si alios tali pane pascere non potes, pasce verbo, de quo scriptum est: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo*, etc.

3. *Quotidianum da nobis hodie:* 1. Ut disceremus luxum in cibis declinare; qui enim tantum insumit in uno convivio quantum sufficeret ad vivendum mense integro, non panem quotidianum manducat, sed menstruum. 2. Ne de futuris temporibus nimium solliciti simus: sufficit diei malitia sua; et cur torquebimur cura diei crastinae, quam forte non videbimus? aut qua fronte simus de temporalibus solliciti, qui aeterna praevidere negligimus?

XLV.

Dimitte nobis debita nostra, etc.

1. *Debita nostra:* peccata nostra sunt tum mortalia, tum venialia, tum etiam poenae istis debitae; quae quia quotidie tanto numero contrahimus, quotidie exorando dissolvere debemus: et vere tanta sunt ista debita, ut dissolvi aliter non possint quam ut dimittat iste cui debentur. Imploranda ergo ejus misericordia est, ut clementer faciat quod aliter fieri non potest, et quod ut rogaretur mandavit, etc.

2. *Sicut et nos dimittimus*, etc. Ponitur necessaria conditio ut nobis dimittat peccata nostra Deus, si nos proximo dimittimus injurias nobis illatas, juxta illud: *Dimittite, et dimittemini.* Imo, per verbum *sicut* innuitur nostram in proximos benignitatem fore divinae in nos benignitatis mensuram. Quare qui non dimittit, dum hoc orat, non petit sibi dimitti, sed non dimitti: si autem non verbo tantum, sed etiam corde dimittit, nullam retinendo memoriam injuriae, sed etiam beneficiis eum, a quo laesus est, afficiat, sperare potest eadem a Deo, etc.

3. *Debitoribus nostris.* Confer hic debita quae tibi debentur a proximo tuo, cum debitis quae tu debes Deo. Tu debes centum millia talenta, id est plurima gravissimaque peccata; ille unum forte denariolum, levem injuriolam: qua ergo dementi crudelitate non misereris conservi tui, ut Deus tibi remittat omne debitum tuum? etc.

XLVI.

Et ne nos inducas in tentationem.

1. Non petimus hic omnino non tentari, cum id saepe utile sit: 1. Ut probemus fidem et charitatem nostram erga Deum, resistendo tentationibus: *Vasa enim figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* 2. Ut solidemur in virtutibus, maxime in humilitate, dum videmus nos tot et tantis hostibus circumseptos quos declinare nostra virtute non possumus. 3. Ut augeatur corona nostra, propter victoriam. 4. Ad instructionem aliorum, ut eis compati et juvare possimus. Sic Sancti pene omnes, et ipse etiam Christus tentatus per omnia est, etc.

2. Petimus ergo ut non inducamur in tentationem, id est, non succumbamus; ut Deus non permittat nos *tentari ultra id quod possumus, sed faciat etiam cum tentatione proventum*; aut si videat alias nos tentationi succubituros, ex misericordia sua ne quidem permittat tentari: alioqui certum est sufficere semper gratiam illius ut vincamus, modo velimus cooperari; tentationem esse canem ligatum, non mordere nisi accedas, etc.

3. Cons. quae te potissimum tentationes inducant ad peccatum, ut notum hostem validius oppugnes praemuniendo te matura deliberatione et firmo proposito, etc.; deinde quae sint earum causae et occasiones, ut eas defugias; quibus mediis aliquando superaveris, aut intellexeris alios restitisse, etc.; quid senseris, quando succubuisti, etc.

XLVII.

Sed libera nos a malo.

1. Maximum et maxime timendum malum est malum culpae seu peccatum, a quo desideramus liberari, sive illud praeteritum fuerit, sive praesens, sive futurum: praeteritum, ut ignoscatur; praesens, ut deploretur; futurum, ut caveatur: malum vere maximum, quia a summo bono nos avertit et ad sempiternas aerumnas disponit. Interim quotusquisque est, qui non majore contentione et cura amoliatur leve aliquod fortunarum aut honoris damnum, quam peccatum cui potest tam suaviter indormire? etc.

2. Alterum malum est poena peccati, tum aeterna si peccatum non expietur, tum temporalis in plenariam satisfactionem, quo spectant afflictiones in bonis externis, in corpore morbi, in animo scrupuli, anxietates et tentationes. Porro aeterna poena serio deprecanda est, temporalis vero conditionate si sit ad majorem Dei gloriam et animae tuae bonum: alioquin hic ure, Domine, hic seca, ut in aeternum parcas, etc.

3. Mala etiam sunt quae nos ad peccatum inducunt, mundus, caro, daemon: mundus blandiendo, caro stimulando, daemon impellendo; mundus exemplo malorum, caro rebellione, daemon suggestione, etc. Inter tot igitur hostes, vigila ne opprimaris, ora ut libereris. *Amen*, sive *fiat*, quandoquidem ea petis quae petenda Christus praescripsit, etc

XLVIII.

De servo Centurionis.

1. *Domine, puer meus jacet in domo mea paralyticus, et male torquetur.* Cons. bonitatem et benignitatem Centurionis in servum suum, pro cujus valetudine adeo sollicitus est: non enim attendebat conditionem qua servus erat, sed naturam qua sibi similis, et magis Dei imaginem honorabat in homine quam onus captivitatis contemnebat in servo, multum dissimilis istis dominis qui majore cura prospiciunt aegris suis canibus venaticis, aut equis, quam famulis. Quod si id indignum tibi videtur, cogita quanto sit indignius caetera te omnia magis quam animam curare. Languet caput aut stomachus, doles, et medicos advocas; jacet anima tua paralytica et male torquetur, et siles! etc.

2. Cons. humilitatem Centurionis: 1. Ne dignum quidem se existimat qui aliquid a Christo impetret; unde utitur intercessoribus senioribus Judaeorum, quos existimabat se meliores, et plus apud Christum posse. 2. Cum audiisset benignissimum Dominum respondisse sese venturum et curaturum, iterum alios amicos destinat qui id beneficium deprecentur, indignum se esse, etc. 3. Tandem appropinquanti Domino ipsemet occurrit exclamans: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum*, etc. Vide pulcrum certamen humilis Centurionis, et benigni Jesu. Vere, si te exaltas, elongabitur a te Jesus; si te humilias, accedet, etc.

3. Cons. fidem hominis adhuc gentilis, in confusionem Judaeorum et tuam: *Tantum dic verbo,*

et sanabitur puer meus. Credit sola voluntate ubique operari posse, qui ubique est; et confirmata minori : *Nam et ego homo sum, et dico huic. Vade, et vadit,* etc. Digna profecto fides quam Jesus laudaret, quamque tu imitareris!

XLIX.

De filio Viduae.

1. *Defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec erat vidua.* Cons. Christum non casu, sed dedita opera eo venisse ut defunctum suscitaret, etsi non esset rogatus ; sed lacrimae matris tetigerant cor ejus misericordissimum, reliquaque omnia compassionem movebant: quod defunctus, quod efferretur, quod filius unicus, quod ista vidua. Disce compati afflictis, deinde applica hoc cuicumque peccatori, aut alicui a religione deficienti, quem quatuor passiones efferunt: ambitio, luxuria, cupiditas, ira, etc.

2. Christus consolatur illam ne fleret, etiam causam luctus abstulit: nam *accedens tetigit loculum, et ait: Adolescens, tibi dico, surge; et resedit,* etc. Nota Christum haec omnia adhibuisse, non quod solo nutu suscitare non posset, sed ut ostenderet similia ad resuscitandam animam a peccatis requiri solere; nam: 1. Solatiolum aliquod animae immittit praesagium futurae gratiae. 2. Accedit praevenienti sua gratia. 3. Tangit, modo timorem, modo spem, aliosque similes affectus excitando. Sed 4. sicuti ibi, qui portabant, steterunt, ita comprimi necesse est vim istarum passionum, quibus antea peccator abripiebatur, etc.

3. *Et resedit qui erat mortuus, et coepit loqui:*

non statim ambulavit, quia qui diu passionibus suis servierunt, sentiunt principio magnam difficultatem in via Domini; non tamen jacet amplius iis objectus, et loquitur confitendo peccata sua, laudando etiam Dei misericordiam erga se. Ubi disce non indignari adversus recenter conversos, si adhuc pravas aliquas consuetudines reservant, sed compatere potius, etc.

L.

Reprehensio trium hominum, etc.

1. *Accedens unus Scriba, ait: Magister, sequar te quocumque ieris. Et dicit illi Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Cons. praeclara quidem verba fuisse istius Scribae, sed intentionem non bonam; humana enim commoda, divitias et honorem spectabat, quibus deficientibus desiit velle Christum sequi in paupertate et humilitate. Vide aptam Christi responsionem, quasi diceret: Tu instar vulpis dolosus es, qui in schola paupertatis quaeris foveam et commoda temporalia, et instar volucris, ex humilitate ficta, quaeris nidum in sublimi, id est honorari et aestimari ab aliis. Utinam de me dicta haec non sint! ut habeat in me Christus pauper et humilis, et candor lucis aeternae, ubi caput reclinet, etc.

2. Alteri dicenti: *Permitte me primum ire sepelire patrem meum*, respondit Christus: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Docens: 1. Pluris faciendum esse Deum vocantem, quam parentes. 2. Attendenti coelestia, non esse curanda amplius saecularia, sed illa tanquam mortua opera, utpote

quae nihil ad vitam spiritualem pertinent, relinquenda esse saecularibus in peccato mortuis; neque ullus religiosus ista curat, nisi jam spiritualiter mortuus aut morti saltem proximus, etc.

3. Discipulo volenti primum renuntiare rebus domesticis respondet Jesus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Ut enim arans rectum vomerem ducere non potest, qui oculum alio vertit; sic, etc., et ipsa memoria rerum aliquando possessarum, enervat, etc.

LI.

De ejecta legione Daemonum.

1. Cons. tyrannidem daemonum et miseriam ejus quem illi per peccatum obsident, ex consideratione hujus possessi. Nam: 1. Habebat illud multis temporibus, quia peccatum semel admissum facile continuatur, *et fit supra modum peccans.* 2. Veste non induebatur, quia peccator nudus a gratia et bonis operibus. 3. Non habitabat domi, quia peccator in conscientia sua non requiescit; 4. Sed in monumentis, quia hic in operibus seu peccatis delectatur. 5. Catenas et vincula rumpebat, ita ut eum domare nemo posset, quia hic nulla ratione, nulla lege constringitur, nullis inspirationibus neque admonitionibus emendatur. 6. Praeceps agebatur in deserta, quia hic transgressis legibus ipsis rapitur ad ea peccata quae etiam vulgarem consuetudinem excedunt. 7. Possidebatur ab integra legione daemonum, quia qui uni peccatorum fit servus, omnibus aliis facile. O quanto facilius virtuti et uni Deo servitur! etc.

2. Christo imperante ut exirent, deprecabantur: *Si ejicis nos, mitte nos in porcos.* 1. Agnoscunt potentiam Christi Domini. 2. Testantur impotentiam suam, qui ne in porcos quidem sine Dei permissione audent aut possunt ingredi. 3. Indicant malitiam, qui cum nec in animam nec in corpus aliquid possunt, impetunt bona externa. 4. Ostendunt qualia libenter hospitia inhabitent, nempe immundos, etc. Cave.

3. Cons. statum hominis liberati: 1. Sedet, ob quietem conscientiae. 2. Vestitus est donis et gratiis. 3. Sana mente, quia a virtute et veritate non delirat, etc. Eum statum tibi precare, et conserva, etc.

LII.

De filia Jairi resuscitata.

1. Cons. conditiones puellae: erat duodecennis, filia unica parentum divitum et nobilium, quorum tamen nihil eam a morte liberare potuit: 1. Ut nec aetati fidas, nec conditioni, ubique et semper timenda mors est. 2. Immatura accidit aliquando, ob peccata propria in poenam, alias ob peccata parentum nimium filiis indulgentium, aliquando *ne malitia mutet intellectum*, quod summum Dei beneficium est. Utinam contingat te mori potius quam Deum offendere, sitque ille ultimus halitus vitae tuae, qui inciperet primus esse peccati!

2. Cons. benignitatem Christi obtemperantis Jairo ob humilem ejus petitionem: *Procidens* enim *ad pedes ejus, rogabat ipsum*, etsi fide imperfecta: 1. Quia non putabat eum absentem curare posse: *Veni*, inquit. 2. Quia putabat requiri impositionem

manus et contactum aliquem corporalem. Spera etiam fore ut misericorditer imperfectiones tuas dissimulet Deus, si modo humilis es et aliorum defectus dissimulas.

3. Ejecta turba tumultuante, tenens manum ejus, dixit: *Puella, tibi dico, surge.* Et confestim surrexit, et ambulavit, et comedit. Si resurgere vis: 1. Ejicienda turba saecularium cogitationum. 2. Opus auxilio Dei sublevantis, cui obtemperandum est, ut manus mortuae. 3. Non debet differri poenitentia et confessio, sed confestim surgendum. 4. Ambulandum per exercitia bonorum operum; et nota filium viduae resedisse, quia jam efferebatur diu mortuus, haec autem nondum, etc. 5. Comedendus panis coelestis Eucharistiae, etc.

LIII.

De Haemorrhoissa.

1. Cons. virtutes mulieris: 1. Est fides qua credidit diuturnum illum morbum suum nulla medicorum arte curabilem, solo tactu vestis Christi curari posse. 2. Fiducia dicentis intra se: *Si tantum tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* 3. Humilitas, quia non ausa eum interpellare aut se coram ostendere: *Accessit retro*, etc. Applica haec ad sacram Communionem, expendendo: 1. Fluxum tuarum cupiditatum et passionum. 2. Potentiam Christi, cujus non vestem tangis, sed Corpus ipsum et Sanguinem. 3. Quomodo tangere oportet, nempe fide viva, magna fiducia de bonitate illius, humilitate ob tuam indignitatem et illius majestatem.

2. Cons. cur Christus occultum illud miraculum

manifestavit, qui alias solebat manifesta occultare. *Quis me tetigit?* 1. Ut doceret multum referre quomodo quis eum tangat; nam et turbae eum tunc comprimebant, sed sine fructu: ita multi communicant, sed quam pauci eam referunt utilitatem quam possent, defectu bonae praeparationis! 2. Ut corrigeret errorem mulieris, quae putabat latere se posse. Ita Deus tempore suo revelabit quinam digne aut indigne communicarint.

3. Mulier videns quia non latuit, tremens venit et *procidit ante pedes ejus*, et tactum suum et recuperatam valetudinem coram omnibus testata est. Cons. sic solere aliquando timere justos ne indigne accedant; sed praestat cum amore et humili reverentia accedere, quam ex timore omittere. Unde Christus fidem mulieris, etsi imperfectam, laudavit et sanitatem confirmavit: *Fides tua te salvam fecit; vade in pace*, etc.

LIV.

De missione Apostolorum.

1. *Messis quidem multa est, operarii autem pauci.* Cons. quam id etiam nunc verum sit: messis multa, non tantum ob innumeros adhuc infideles et haereticos, veram fidem et religionem ignorantes, sed etiam ob infinitos catholicos qui veram salutis viam aut nesciunt, quia non docentur, aut non carpunt, quia non monentur. Operarii enim pauci, qui sedulo constanterque saluti aliorum adlaborent. Pastores omnes esse appetunt, sed quotusquisque officium veri Pastoris exequitur? Tu scias a te exigendam esse rationem multarum

animarum, quas saltem spiritali colloquio juvare neglexisti, etc.

2. Cons. quomodo Christus illos miserit, nempe *binos ante faciem suam:* 1. *Binos,* ad ostendendam charitatem quae inter operarios requiritur, ne, per mutuas aemulationes et dissensiones, plus in Ecclesia Dei destruant quam aedificent; deinde ut nemo existimet se solum sufficere ad rem tantam peragendam, sed humiliter et libenter annuat sociis, eorumque subsidium admittat. 2. *Ante faciem suam*, ut eos animaret ad alacrius operandum: oculus enim Domini, et praesentia excitat. Quod si tu cogitares, non tam remisse rem tuam ageres.

3. Cons. ad quid miserit: non ut circuirent domos, curiose et otiose loquentes ea quae non oportet, sed ut praedicarent *quia appropinquavit regnum Coelorum,* ut homines ad coelestium rerum amorem excitarent, *ut infirmos curarent, mortuos suscitarent, leprosos mundarent,* etc.: quae tu scias spiritualiter tibi esse facienda, etc.

LV.

Prosecutio.

1. Cons. quales exterius operarios suos esse voluerit, nempe contemptores rerum temporalium, *sine auro, sine virga, sine pera, sine duabus tunicis;* non quod vellet eos rebus omnino necessariis destitutos, sed ne superflua, aut ipsi secum deportarent quod futurum erat impedimento, aut ab aliis acciperent cum detrimento: suspecta enim est doctrina illius qui aliud quaerit quam animas, et libertatem vendit qui aurum accipit. Gratis ergo dandum quod gratis acceptum est, etc.

2. Cons. quales voluerit esse interius: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum; estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.* Commendat ergo illis: 1. Mansuetudinem, ut nec laesi noceant. 2. Patientiam, in ferendis adversis. 3. Charitatem, impendendo se totos proximo, sicut in ovibus nihil non utile est. 4. Fiduciam erga Deum dicentem: *Ego mitto vos*; ego qui juvare, qui tueri, qui promovere possum. 5. Prudentiam serpentum, ut caput, id est, salutem animae suae semper a vulnere tueantur. 6. Simplicitatem columbinam, sine dolo et fictione, candide et sincere. Vide quantum absis ab istis virtutibus.

3. Subjungit multa illos manere incommoda et pericula, non ab hostibus tantum, sed ab amicis, fratribus et parentibus, eosque ad fortiter tolerandum animat: 1. Exemplo suo: *Non enim est discipulus supra magistrum, neque servus supra dominum suum*, etc. 2. Quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* 3. Quia, etsi corpori noceant, animae nocere non possunt. 4. Quia Deus particularem eorum curam habet, ut ne capillum quidem perire patiatur, etc.

LVI.

De legatione S. Joannis.

1. Joannes in vinculis mittit duos discipulos ad Christum, qui eum interrogarent: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* 1. Non quod ipse id nesciret, aut dubitaret, qui antea saepius publice testatus fuerat, sed ut discipuli ab ipso Christo in ejus fide confirmarentur. 2. Ut con-

firmati illum ultro sequerentur eique adhaererent. Ita tu quotquot potes ad Christum sequendum sollicita, deinde vide an alium tu expectes, id est, an ulli rei magis fidas quam Christo ejusque promissis, etc.

2. Respondens Jesus, dixit illis: *Euntes renuntiate Joanni quae audistis et vidistis: caeci vident, claudi ambulant*, etc. Non dixit, Ego sum: 1. Ne videretur jactare se velle, eaque re invidos jam Joannis discipulos magis commoveret. 2. Quia testimonium validius est ex operibus quam verbis; cum bene et praeclare de se loqui plurimorum sit, bene autem agere paucorum. 3. Quia praedictum erat ab Isaia post Messiae adventum haec omnia eventura, etc. Christus ergo se operibus probat Christum: tu quid agis, ut probes te christianum et religiosum? *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute* (1. Cor. IV, 20).

3. *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Sic: 1. Increpat suaviter discipulos Joannis, quod ideo offenderentur quia majora patrabat quam Joannes. 2. Ne contemnerent Doctorem Christum, qui non multos potentes, sed pauperes convertebat. 3. Ne turbarentur si audirent Christum passurum et moriturum, etc. Scandalizaris, si te pudeat christianae humilitatis, etc.

LVII.

De laudibus S. Joannis.

1. Discipulis Joannis abeuntibus, coepit Jesus dicere ad turbas de Joanne; in praesentia illorum non laudavit: 1. Ne confirmarentur in suo errore, quo existimabant Joannem Christo majorem. 2. Ne

videretur in gratiam discipulorum Joannem laudare, subessetque aliqua species adulationis. 3. Ut doceret abstinendum esse a laudibus praesentium; nam sapiens dum laudatur in facie, flagellatur in corde, etc. Vide ergo ne talibus artificiis quaeras favorem hominum, etc.

2. *Quid existis videre? arundinem vento agitatam:* quid? *hominem mollibus vestitum?* 1. Quia populus, audita legatione Joannis, suspicari poterat eum nunc de Christo dubitare, quem nuper ita commendaverat, ait Christus illum non esse arundinem quae vento agitetur; cur sibi adulatus fuisset, qui tam constanter regem Herodem arguit? Vide ne tu arundo sis vacua bonis operibus, levis in propositis, agitata passionibus. 2. Laudat Christus Joannis vitam austeram, qui non molliter, sed pilis camelorum induebatur; non in domibus regum, sed in eremo, nunc carcere, habitabat, etc. Et vere mollities eum dedecet qui alios ad virtutem, ad poenitentiam provocare nititur.

3. Christus asserit Joannem esse plus quam Prophetam, esse Angelum, majorem illo inter natos mulierum non surrexisse: 1. Plus quam Prophetam, quia quem alii venturum praedixerant, hic digito demonstravit. 2. Angelum, ob vitae puritatem. 3. Magnum, ob sanctitatem. Talem te exhibe, ut te laudet Christus, etc.

LVIII.

De conversione Magdalenae.

1. Cons. virtutes hujus poenitentis: 1. Fidem raram, qua credebat Christum esse Deum, qui posset peccata remittere, qui arcana cordis no-

sceret, etc. 2. Spem magnam obtinendi quod voce fletus sui petebat. 3. Humilitatem, dum stat retro, non coram, et secus pedes non caput Domini. 4. Vim amoris, dum irruit importuna convivio, sed opportuna remedio; dum lacrimis rigat pedes Jesu, quae suis pedibus tam male ambulaverat; dum capillis tergit, ut culpae abstergerentur; dum osculatur, ut pacis osculum accipiat; dum ungit, ut ungeretur unguento virtutum, absterso foetore vitiorum. 5. Vim poenitentiae, dum quidquid sibi turpiter servierat, hoc totum Deo laudabiliter offerebat, juxta illud: *Sicut exhibuistis membra vestra*, etc. Imitare poenitentem, qui secutus es errantem.

2. Cons. quam benigne Christus apud temere judicantem Pharisaeum suscipiat poenitentis patrocinium, allata parabola de duobus debitoribus, quorum ille plus diligit, cui plus dimittitur, praeferens etiam Magdalenae poenitentiam omnibus illis obsequiis; ut discas magis Deo placere sincere poenitentem quam quemvis alium tepide viventem, juxta illud: *Majus gaudium est Angelis super uno peccatore*, etc.

3. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Mensura ergo remissionis est amor, qui quia summus fuit in Magdalena, non solum remissionem obtinuit culpae, sed etiam poenae omnis, et victoriam de passionibus in posterum; unde audiit: *Vade in pace.* Concipe hic tandem semel unam seriam poenitentiam, ut pacem similem obtineas, etc.

LIX.

De suavi jugo Christi.

1. Optimus Jesus, audiens a revertentibus Discipulis, virtutes quas in praedicatione fecerant, exultavit spiritu, et: *Confiteor*, inquit, *tibi, Pater, quia abscondisti haec a sapientibus* (Scribis et Pharisaeis) *et revelasti ea parvulis* (humilibus Piscatoribus); *ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Ut discas: 1. Laboribus et fructibus aliorum non invidere, sed gratulari. 2. Referre ad Deum, auctorem bonorum omnium. 3. Non angi si fructus operae non respondeat, sed conformare te divinae dispositioni. 4. Humilitatem, veluti terram subactam, aptiorem esse ad satus divinae revelationis accipiendos, quam sapientiam inflantem.

2. *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* 1. Compara jugum legis veteris cum legis novae: illud innumeris praeceptis, caeremoniis, poenis constabat; haec praeceptis duobus charitatis Dei et proximi; illius merces temporalis, hujus aeterna; in hac uberior gratia Spiritus Sancti, auxilia plura, remedia certiora. 2. Vide quanto jugum Christi levius sit jugo diaboli, jugo mundi, onere carnis; quantum in his laborent peccatores, politici, luxuriosi.

3. *Discite a me* non mundum fabricare, non mortuos suscitare et miracula facere, sed *quia mitis sum et humilis corde.* Magnus esse vis, a minimo incipe; cogitas magnam fabricam aedificii

spiritalis, de fundamento cogita humilitatis; quam ut te doceret tantus Magister, quantillus factus est! etc.

LX.

De Saucio et Samaritano.

1. Christus, ut superbam astutiam cujusdam legisperiti rogantis quis esset ejus proximus retunderet, attulit parabolam hominis ex Jerusalem in Jericho descendentis, *qui incidit in latrones qui despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto*, etc. Quo ostenderet non Judaeum tantum debere censeri Judaeo proximum, sed omnem hominem ob communionem naturae, maximeque eum qui ope alterius indiget: tunc enim vera et christiana charitas potest impendi.

2. Cons. hunc hominem apte referre Adamum, et quemvis peccatorem a coelestibus ad terrena descendentem, qui incidit in latrones diabolos, qui ministerio malorum hominum et carnis nostrae nos invadunt, dispoliant indumentis gratiae, virtutum ornamentis, etc. Plagas imponunt, ignorantiam veri in intellectu, difficultatem boni in affectu, rebellionem carnis adversus spiritum, lege membrorum repugnante legi mentis, etc. Semivivum relinquunt, relicta sola fide, et lumine aliquo naturali. Miseriam hanc perpende, et tibi accommoda, etc.

3. Actum erat de genere humano, nisi venisset Samaritanus, id est, Christus custos, qui misericordia motus alligavit ejus vulnera, impetum sistens ruentis in malum naturae, infudit oleum et vinum pretiosissimi sui Sanguinis, oleum mi-

sericordiae, vinum charitatis, praemiis nos alliciens, pomis nos terrens, imponit jumento suo, quia vulnera nostra ipse portavit, abducit ab occasionibus peccandi, etc. Pro quibus gratus eum vicissim amabis, etc,

LXI.

De sanata manu arida.

1. *Erat ibi homo, et manus ejus dextera erat arida.* Cons. illius dextram manum vere dici posse aridam, qui, cum sinistra bene utatur, id est in saecularibus negotiis, in servitio dominorum suorum temporalium, studiis litterarum, etc., sit diligentissimus, pauca vel nulla agat quae ad virtutem, ad Deum, salutem animae suae vel aliorum spectent. Talem te hactenus fuisse in Religione deprehendes, si attendis quam modicum boni fructus reportaveris, etc.

2. Interrogabant eum Pharisaei: *Si licet sabbatis curare, ut accusarent eum.* Cons. invidiam et malevolentiam Judaeorum, qui, sub specie religionis erga sabbatum, conabantur bona Christi opera impedire: ut discas bene examinare similes affectus tuos. Rogabant non discendi gratia, sed ut accusarent eum, vel ut transgressorem sabbati, si annueret; vel ut immisericordem, si negaret. Ubique invidus, instar araneae, venenum colligit, etc.

3. Postquam Christus, adducto exemplo de ove, quam illi non dubitarent etiam sabbato extrahere e fovea, probasset licere sabbato benefacere, homini ad medium advocato dixit: *Extende manum tuam; et extendit:* et restituta est. Extende et tu

tandem aliquando manum tuam ad Deum pro peccatis tuis; ad proximum, ut eum subleves in necessitatibus suis; ad bona opera, quibus salutem tuam promoveas, etc. Et cave ne iterum tepiditate contrahatur, etc.

LXII.

De Daemoniaco caeco et muto.

1. *Oblatus est ei daemonium habens caecus et mutus*, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret. Cons.: 1. Christum, etsi subinde secederet ad declinandam invidiam Pharisaeorum, quando tamen offerebatur occasio miseris succurrendi, nunquam propter ipsos illud neglexisse: ut discas, quando res tua agitur, prudenter subinde cedere infirmitati proximi scandalizandi passive; at ubi Dei honor, aut alterius salus agitur, constanter pergere, nihilque morari, quid hic dicat aut iste. 2. Si caecus es, verum bonum non agnoscens; si mutus illud aliis annuntiare dissimulans, offer te Christo ut cureris, etc.

2. Turbis cum stupore dicentibus: *Numquid hic est Filius David?* Pharisaei dixerunt: *In Principe daemoniorum ejicit daemonia.* Vide obduratam malitiam: qui factum negare non poterant, pessima interpretatione attribuunt vi daemonis quod candida plebs merito Messiae attribuebat. Nempe, sicut charitas etiam ex malo bonum elicit, sic invidia ex bono malum.

3. Refutat Christus blasphemiam: 1. Ostendens se scire cogitationes eorum, quod Dei proprium est. 2. Quia si Daemon Daemonem ejiceret, regnum ejus dissolveretur. 3. Si filii vestri non ejiciunt in

Beelzebub, multo minus ego. 4. *Aut facite arborem bonam et fructum bonum*, etc. Quasi diceret: Fructus tam bonus a daemone provenire non potest. 5. Denique: *Quomodo potestis*, inquit, *bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur*, etc.

LXIII.

De prandio Pharisaei.

1. Cons. Christum, qui ad publicanorum convivia ultro itabat, non ire ad Pharisaeos nisi rogatum, quia hi minus erant idonei ad fructum ex ejus conversatione suscipiendum ob invidiam et superbiam qua se justos credebant, ideoque non egere se medico; deinde, ut liberius eorum vitia redarguere posset, ut in hoc convivio constanter fecit. O quoties nos similibus beneficiolis libertatem nostram vendimus, ut cogamur adulari potius quam emendare!

2. Studio Christus abstinet a superstitiosa lotione manuum, ut haberet occasionem eos docendi quae potius mundities foret quaerenda. 1. *Vos*, inquit, *quod de foris est mundatis, quod autem intus est vestrum plenum est rapina et iniquitate.* 2. *Vae qui decimatis mentham*, etc., *et praeteritis judicium et charitatem Dei: haec oportuit facere, et illa non omittere.* Vide et tu an non pluris externa, et quae parvi momenti sunt, facias quam interna, et quae maximi sunt ad salutem momenti.

3. Reprehensus a quodam Legisperito, quod talia dicens, etiam illis contumeliam faceret: *Vae et vobis*, inquit, *quia oneratis homines oneribus quae ipsi portare non possunt, et ipsi uno digito non*

tangitis sarcinas. Vae qui sustulistis clavem scientiae; ipsi non introistis et eos, qui introibant, prohibuistis. Vide ergo ne tu, imperfecte et large vivendo, summa ab aliis exigas, aut, ut minus imperfectiones tuae pateant, ne alios ad perfectionem tendentes impedias, etc.

LXIV.

De parabola seminantis.

1. *Exiit qui seminat seminare semen suum.* 1. Seminator praecipuus est Deus, qui nulli semen suum negat, etsi videat non apud omnes fore fructuosum; deinde confessarii et concionatores, quos exire oportet, id est laborare, et commoda sua deserere, ut saluti aliorum subveniant. 2. *Semen est verbum Dei,* tum per inspirationes seminatum, tum per homines et pios libros. 3. Terra seu ager est anima: tu tuam pete recte subigi et coli copioseque seminari, ut fructum maximum ferre possit.

2. Cons. ubi semen inutiliter jaciatur: 1. Si *secus viam,* quia partim ibi a praetereuntibus conculcatur, partim a volucribus comeditur, si nimirum cor habeas pervium quibusvis cogitationibus et distractionibus, si non attendas, si curiosus ad alia, si in Religione semisaecularis adhuc, etc. 2. Si *in terram petrosam,* id est, in cor aridum a devotione et unctione Spiritus Sancti, ubi radicem agere non potest quin occurrente minima tentatione exarescat: non sic tu, sed per ignominiam et bonam famam fructifica. 3. Si *in spinas,* id est, in hominem deditum sollicitudinibus, divitiis, voluptatibus, quae verbum Dei suffocant, a quibus idcirco

maxime abhorrebis. Itaque in primo casu ne germinare quidem incipit semen; in secundo incipit, sed non promovet defectu succi; in tertio succum habet, sed ob vepres non assurgit.

3. Cons. similiter terrae bonae esse tres gradus, dum alia *fert fructum centesimum, alia sexagesimum, alia tricesimum*, secundum tres gradus, perfectorum, proficientium, et incipientium, etc.

LXV.

De Zizaniis.

1. Ne putaremus satis esse quod essemus terra bona, et semen bonum bene reciperemus, subjecit Christus aliam parabolam de *zizaniis quae inimicus homo, dum dormirent homines*, bono semini *superseminavit*. Vide ergo quanta vigilantia et sollicitudine opus sit, ut non tantum non sis secus viam, neque petra, neque spinis obsitus, sed etiam ne bono semini Diabolus adjiciat zizania, imperfectiones, respectus humanos, intentiones minus sinceras, quae opera tua corrumpant, et privent gratia et meritis; quaeque tam insensibiliter bonis actionibus admiscentur, ut non appareant nisi perfectioribus, iis qui creverunt et fecerunt fructum, etc.

2. *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet haec zizania?* Cons. quam merito hoc a te et Angeli, et superiores tui et alii petere possint; cum tam bonum semen in novitiatu, in annuis exercitiis, in quotidianis meditationibus, in examinibus, etc., seminaveris in agro tuae mentis: unde haec zizania imperfectionum? nempe cum dormires, cum tepidus esses et negligens,

inimicus homo diabolus haec fecit. Vigila ergo, ne plura quotidie superseminentur.

3. *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Permittit Deus etiam in sanctis viris aliquando residere imperfectiones aliquas per totam vitam: 1. Ad exercitium virtutis, dum contra intestinum hostem quotidie pugnatur. 2. Ne superbiant, unde dicitur: *Ne forte eradicetis et triticum*, etc.

LXVI.

De grano sinapis.

1. *Simile est regnum Coelorum grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus.* Cons. quam merito Coelum tam minutulo grano comparatur: 1. Quia tale est in plerorumque hominum aestimatione, qui quaevis temporalia, honores, divitias et voluptates ei anteponunt. Quotusquisque enim centesimam partem illius operae, qua ad honores nititur, impendit Coelo lucrando? etc. Quin et videbis te majori contentione niti ad vanam scientiam, quam ad Coelum. 2. Quia Coelum non capit alios quam parvos in oculis suis, et humilis ipse Coeli Rex humiliare se debuit usque ad mortem, et talem mortem, ut in gloriam suam ingrederetur. 3. Ipsa porta angusta est, quae inflatos honoribus, onustos divitiis, laxos voluptatibus non capit. Ad hoc ergo te para, etc.

2. Doctrina Evangelica similis est grano sinapis, quia multis visa contemptibilis: 1. Quod non in altitudine sermonis, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis fundata, ut veterum philosophorum et oratorum. 2. Quia a vilibus piscatoribus proseminata tantum crevit, ut per orbem

universum propagaretur, praeferreturque omnium philosophorum placitis et sententiis. 3. Ut sinapi calefacit caput, confortat et venena expellit, sic eloquium Domini inflammat charitatem, fidem roborat, errores profligat, etc. Huic ergo stude, etc.

3. Possunt justi comparari grano sinapis qui, contemptibiles aliis et minimi per humilitatem, seminantur per mortificationem, crescunt per charitatem eousque perfectionis, ut non tantum Angeli et animae coelestium virorum, sed et Jesus ipse in iis singulari complacentia conquiescat. Eo nitere, etc.

LXVII.

De thesauro et margarita, etc.

1. *Simile est regnum Coelorum thesauro abscondito.* Cons.: 1. Christianam perfectionem vere dici posse thesaurum, quod per eam vera bona, Coelum et aeternam beatitudinem nobis comparemus, quae aliter emi non possunt; sed dicitur absconditus, quia a paucis agnoscitur, aut invenitur, quod tam tepide et negligenter quaeritur. 2. Absconditus, ut servetur; perfectionem enim a daemonibus custodire non sufficit, qui illam ab humanis laudibus non abscondit: in praesenti enim vita quasi in via sumus, quam latrones obsident; depraedari ergo desideras, si thesaurum publice portas in via, etc.

2. *Simile est regnum Coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas,* etc. Perfectio religiosa est margarita pretiosa: 1. Margarita, seu unio propter charitatem, quod est vinculum perfectionis. 2. Pretiosa, ob affluentiam gratiarum

et meritorum. Sed adverte eam non comparari nisi a negotiatore, divenditis bonis omnibus temporalibus: quia diligentia, sollicitudine, vigilantia opus est; neque eam satis aestimat qui aliquid prae ea, vel cum ea amat. Vide ergo qualis negotiator sis, scrutorum an margaritarum? an abieris non tam pedibus quam affectibus a saeculo? an vendideris omnia, ut nihil proprium, ne voluntatem quidem, habeas?

3. *Simile est regnum Coelorum sagenae missae in mare, quam cum impleta esset, educentes, elegerunt bonos* pisces *in vasa, malos autem foras miserunt*, etc. Ut discas non sufficere quod sis in reti Ecclesiae et Religionis; quia, nisi bonus sis, in die Judicii mitteris in caminum ignis, etc. Cave et time.

LXVIII.

De filio Reguli.

1. Cons. sollicitudinem parentis pro filii sanitate. Videns enim humana media defecisse (*incipiebat enim mori*), *abiit ad Jesum, et rogavit ut descenderet, et sanaret filium ejus.* Quid tu pro anima tua languente tot morbis peccatorum, cui sanandae nulla humana remedia possunt sufficere? Cur non exclamas: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum ego, et anima mea turbata est valde?* Neque despera sanitatem ab eo qui, ut te sanaret, jam olim in Incarnatione et quotidie in Eucharistia descendit, etc.

2. *Domine, descende priusquam moriatur filius meus.* Attende hic quam imperfecta fuerit fides Reguli: 1. *Descende*, inquit, quia non putabat

ab absente posse sanari filium suum. Contra Centurio: *Domine, non sum dignus, sed tantum dic verbo,* etc. Ita nos aliquando Deo modos praescribimus quibus nos curet et nostra, sed male. 2. *Priusquam moriatur:* non enim credebant mortuum a Christo ad vitam posse revocari. Tu et modum et tempus te juvandi Deo relinque; tantum, ut te juvet, roga.

3. Cons. cur Christus, qui ultro offerebat se Centurioni, *Ego veniam et curabo eum,* scilicet servum hic ne rogatus quidem descendit, sed: *Vade,* ait, *filius tuus vivit:* 1. Ut ostenderet se non acceptorem personarum, et quidem promptiorem esse ut ad abjectos accedat. 2. Ut sciret Regulus Christum etiam absentem curare posse, itaque sanaretur ab infidelitate, etc.

LXIX.

De sanato ad Piscinam probaticam.

1. Cons. praerogativas hujus piscinae: 1. quod omnes morbos curaret; 2. quod aqua moveretur ab Angelo; 3. quod primus ingressus in eam sanaretur: et vide quanto id excellentius praestent novae legis sacramenta, maxime Baptismi et Poenitentiae; nam: 1. Sanant ab omni peccato. 2. Virtutem accipiunt ab Angelo testamenti, Christo Domino. 3. Non unus tantum, sed omnes accedentes sanantur, et potissimum is qui primus, id est majore fervore accedit. Gratias age et utere, etc.

2. Hominem ibi 38 annis languentem Christus interrogat misericorditer: *Vis sanus fieri?* ut doceret ad perfectam animi curationem nos voluntate seria nostra cooperari debere; qui enim fecit

nos sine nobis, non justificabit nos sine nobis: non sufficit ergo velleitas. Respondet miser: *Velle quidem, sed hominem se non habere,* ut agnoscamus propriam imbecillitatem nostram, qua resurgere a peccatis nostris non possumus, nisi adjuti gratia illius qui propter nos homo factus est. Denique advertenda miseri etiam patientia perseverans, ut nunquam desperemus, etc.

3. Ad verbum Christi recuperat sanitatem, et tollit grabatum suum et ambulat. Signum spiritualis sanitatis est si tollas grabatum, si corpus tuum regas, dominerisque ejus cupiditatibus; si ambules diligendo proximum, ad Dei dilectionem. Audi denique Christum monentem: *Jam sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Disce: 1. peccata saepe causas esse morborum; 2. firmo esse proposito opus, etc.

LXX.

De decollatione S. Joannis.

1. Cons. causam non fuisse aliam, nisi justam reprehensionem, qua dicebat Herodi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui;* a qua reprehensione nec illum revocabat gratia Herodis, qui *eum libenter audiebat, et multa eo multa faciebat,* neque nota Herodiadis impotentia et crudelitas. 1. Eam constantiam, cum necesse fuerit, imitare, potius timens eum qui potest corpus et animam perdere, etc. 2. Ne fidas gratiae principum, maxime vitiosorum; nam eorum amicitia erga probos tantum politica est, et diuturna esse non potest, maxime si reperiri possit honestus titulus te perdendi, ut hic

Herodes juramenti religionem impietati suae praetexuit.

2. Cons. circumstantias: 1. In die natali, cum alibi nocentes etiam absolvi solent. 2. Inter epulas, nempe debebatur hoc crudelitati ferculum quo insatiata epulis feritas vesceretur. 3. In praemium puellae saltatricis, quae placuerat Herodi et simul discumbentibus. Vide ergo nihil tam sanctum esse, quod tales cupiditatibus suis non postponant. Timetur violatio temere et male facti juramenti, et non timetur innocentis homicidium. Excipitur ne ultra dimidium regni petat, et non eximitur si petat injustum. Non vult meretriculam contristare, et non curat Deum offendere. Perfecto igitur odio disce odisse tam inconstantem et tam vitream gratiam politicorum, etc.

3. Cons. Joannem constanter carnifici collum praebuisse, gavisumque esse quod non tantum pro justitia moreretur, sed quod praevenire Christum posset, etiam in limbo Patrum futurus ejus praecursor.

LXXI.

De multiplicatione panum.

1. Cons. hinc fervorem multitudinis Christum sequentis, ut ab eo salutaribus monitis et divino verbo pasceretur, oblitae corporalium necessitatum; et vide quantum absis ab eo fervore, qui ne ultro quidem intus loquentem et quodammodo te inspirationibus suis prosequentem audire digneris, ut mirari non debeas si vicissim exaudire te non dignetur. Indo considera Christi benignam sollicitudinem pro suis: miseretur super turbam, nec

vult eos jejunos dimittere, ne deficerent in via, etc.; ut merito sperare possis tibi sequenti Christum nihil omnino defuturum.

2. Cons. vanam sollicitudinem Discipulorum: 1. Christum omnes rogant ut dimittat turbam, ut ipsi sibi cibos emerent. 2. Philippus putat ducentorum denariorum panes vix sufficere, ut quisque modicum quid accipiat. 3. Andreas ait quidem reperiri *quii tres panes et duos pisces; sed quid hoc inter tantos?* Ita fit quandocumque quis soli suae fidit industriae, nec spem suam in Deum conjicit, qui solus scit quid sit facturus, nec nisi tentans petit: *Unde ememus panes?* Crede igitur te omnia posse, non in te qui nihil potes, sed in eo qui te confortat, et rem quamcumque tibi demandatam magno animo aggredere, etc.

3. Expende seriem miraculi: 1. Jubentur ordinatim sedere et super foenum. Qui pasci a Deo vult, ordinet passiones suas, quiescat in humili cognitione sui nihili. 2. *Accepit Christus panes, gratias egit, benedixit et fregit deditque Discipulis* distribuendum. Si pascere vis populum Dei, sis in manibus Christi ad omnia paratus, ab eo benedicaris, et frangaris, mortificeris et multiplicaris, etc. 3. Impletis et saturatis omnibus, colliguntur duodecim cophini fragmentorum. En ut pro quinque panibus reddatur Apostolis mensura conferta, etc. Expende igitur te proximo quantum potes

LXXII.

De ambulante super mare.

1. Satiata turba cum vellet Christum sibi in regem eligere, coëgit Christus Apostolos conscensis navibus transfretare, ipse vero solus secessit in montem, tum ut plausum et fervorem plebis declinaret, tum ut oraret in secessu illo. 1. Vide ergo Christum ducem tuum illud studiose fugere, quod tu tam quaeris ambitiose; declinare illos a quibus honorabatur, sicut tu eorum maxime consortio delectaris, neglectis iis quos apprehendis minus honorifice, et tamen vere de te sentire. 2. Perpende qualem locum eligat orationi, qui nec in mediis turbis distrahi poterat; cum tu, qui nec in secessu collectus esse potes, in publico preces tuas persolvas, etc.

2. Laborantibus Apostolis in remigando ob ventum contrarium, accedit Jesus ambulans super mare turbatum; at illi putarunt eum phantasma esse. Vide: 1. Christum nunquam deesse suis laborantibus. 2. Aliquos reperiri qui phantasmata sua et deliria putant esse Christum, id est, illusiones diabolicas habent pro veris et solidis inspirationibus, maxime cum carni sunt commodae, aut aptae ostentationi: e contrario, alii ipsum Christum putant esse phantasma, qui nullis revelationibus aut inspirationibus credunt, aut iisdem detrahunt. Tu noli *quidem omni spiritui credere, sed proba spiritus si ex Deo sunt:* an conformes rationi et legibus divinis? an tranquillum te reddant? an humilem et obedientem, nec fidentem proprio judicio?

3. Cons. Petrum more suo caeteris ferventiorem: *Domine*, inquit, *jube me venire ad te super aquas.* Adeo nihil reformidat qui Deo jubente et praesente aliquid aggreditur! sed qui saepe in magnis generosus est, vincitur in modico: sicut Petro accidit, qui, videns ventum validum, coepit titubare, et consequenter mergi, nisi Christus manum extendisset. Ratio autem est, quia credimus modica nos nostris viribus perficere posse, etc.

LXXIII.

De Chananaea.

1. Intuere mulierem, et disce a gentili modum aliquid a Deo extorquendi: 1. Egreditur de finibus suis, et tu tuas commoditates pravosque fines intentionum tuarum desere; nam qui se quaerit, raro Deum invenit. 2. Clamat seu orat cum fervore, tu tepide submussitas, et audiri a Deo vis, quae nec ipse intelligis. 3. *Miserere*, inquit, *mei, Domine, Fili David:* brevis oratio, sed fide plena, cum eum Dominum seu Deum et hominem confiteatur plena humilitate, cum non sua merita praetendat, sed misericordiam imploret, etc. 4. Intercessores adhibet Apostolos, ita tamen ut ipsa pro se orare non desinat. Ita tu fide patrocinio Sanctorum, ut interim quod tuum est non negligas.

2. *Et non respondit ei Jesus verbum*, non ex pharisaica superbia, sed ut ad ferventius orandum excitaret, probaret constantiam, manifestaret fidem. Inde, cum Christus diceret *non esse bonum sumere panem filiorum et dare canibus*, non est turbata asperiore similitudine, sed humiliter agnoscens, et magis se humilians, sese catulo compa-

ravit, cui si non integri panes porriguntur, permittitur tamen ut edat de micis quae cadunt de mensa dominorum. Ita tu prudenter et humiliter utere probationibus et adversitatibus, si quas Deus tibi immittit, etc.

3. *O mulier, magna est fides tua!* et, propter hunc sermonem tuum, propter fidem, propter humilitatem, propter constantiam tuam, *vade, et fiat tibi sicut vis.* Quis nolit conari recte orare, ut Deum habeat orationis praeconem, et voti liberalissimum executorem? Et si absente Christo absens filia sanata est, quid non extorquere poteris a praesente in Eucharistia, si tantum vera fide et humilitate miserias tuas illi patefacias? etc.

LXXIV.

De Confessione Petri.

1. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* 1. Considera Christum non interrogasse Discipulos quod ignoraret quales essent hominum de se opiniones, sed ut daret occasionem se amplius illis manifestandi, cum *haec sit vita aeterna, ut cognoscamus Deum et quem misit, Jesum Christum.* O noscam te, bone Jesu! etc. 2. Deinde ut nos doceret non esse abs re aliquando sensa aliorum de nobis cognoscere, ut defectus corrigamus, et bona aestimata studeamus acquirere, vel acquisita perficere. 3. Non interrogat quem dicant Scribae aut Pharisaei, quos sciebat plenos invidia et malitia, nolle recte sentire de Christo, et minus recte loqui, sed quid homines plebeji qui et simplicius sentiunt, et candidius loquuntur, etc.

2. Respondent Apostoli, ex vulgi opinione, eum

putari aut *Joannem Baptistam, aut Eliam, aut Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Cons. quid ex sensu tuo, aut aliorum multorum Christianorum, respondissent? An recte de illo sentias? an non detrahas justitiae, cum de misericordia praesumis? aut misericordiam minuis, dum de ea desperas? an non limitas ejus sapientiam, dum vis omnes uno eodemque spiritu vivere, quasi non sint plures viae modique Deo serviendi?

3. *Vos autem, quem me esse dicitis?* En, ut veram opinionem exspectet a Discipulis suis, excludit quae dicunt caeteri ut homines; humana enim tantum opinantur, tum addit: *Vos,* quibus *dixi, Dii estis,* quem non Filium hominis, sed me esse dicitis? Ita tu, cum opiniones aliorum de te audieris, interroga propriam conscientiam tuam, quin et Deum ipsum quid de te sentiat, sciens te tantum fore quanti te ipse fecerit, etc. Consid. deinde fervidam Petri confessionem, quam mox remuneraturus est Christus, constituendo eum caput Ecclesiae, etc.

LXXV.

De Cruce ferenda.

1. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Attende: 1. *Si quis vult;* nemo cogitur, quia Deus coacta servitia non amat; non ex tristitia et necessitate, sed hilarem et liberum datorem diligit Deus. Deinde talia praemia proponuntur, ut merito supponatur unusquisque sponte secuturus Christum ad ea obtinenda. 2. *Post me,* quia nihil a nobis exigitur, in quo Christus non praeiverit; et quis nolit sequi talem Ducem? 3. *Abneget semet-*

ipsum: non bona tantum externa postponat uni divinae voluntati, sed nec valetudine, nec viribus, nec facultatibus animi velut suis amplius utatur, sed tanquam Dei, ad unam ipsius gloriam et beneplacitum. 4. *Tollat crucem suam,* non Christi, non Martyrum, quae forsan intolerabilis videretur, sed *suam,* adversa omnia patienter ferendo, et amando continuam in rebus omnibus mortificationem. 5. *Et sequatur me,* non tam gressibus corporis quam affectibus mentis, Ducem praeeuntem imitando, etc.

2. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit propter me, inveniet eam.* Cons. an aliquid in tuis rebus vel in te tam inordinate ames, ut propter illud paratus sis Deum offendere. Sic enim amando perdis te quem servares odiendo, adeo ut jam amor ille, non amor tui, sed execrabile odium dicendum sit: quis autem carnem suam, quis animam odio habuit?

3. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Nihil in hoc mundo non exiguum et momentaneum est prae anima, quae est immortalis; et si lucrum totius mundi cum detrimento animae comparatum nihil prodest, quae est insania, propter modicum quid vanae scientiae, umbram vani honoris, pugillum rei propriae, velle detrimentum animae suae pati, quae semel perdita recuperari non potest?

LXXVI.

De Transfiguratione.

1. Cons. cur Christus transfigurari voluerit? nempe ut latentis gloriae in carne passibili specimen praeberet, tum ut Discipulos spe similis gloriae animaret ad ferendam crucem quam proxime suaserat, etc.: unde etiam ibidem Moyses et Elias de excessu seu morte illius cum illo loquebantur. Tempus autem fuit sex diebus post illum de Cruce sermonem, ut ostenderet post tempus breve laboris et crucis secuturum sabbatum requiei et gloriae. Inclina ergo cor tuum ad faciendas justificationes Dei, saltem propter retributionem. Attende etiam locum fuisse excelsum, quia tales favores non obtinentur ab iis qui adhuc terrenis et abjectis rebus afficiuntur.

2. Cons. socios seu spectatores fuisse Petrum, Jacobum et Joannem, quia prae reliquis ferventiores, adeoque magis dilecti; paucis enim tam extraordinariae gratiae conceduntur. Deinde quia Christo placuit tantum istis pauculis gloriam suam manifestare, ut discas similia tibi non arrogare; sed cum te per fervorem rite disposueris, reliqua Dei dispositioni relinquere. Nota et istis tribus optime designari tres virtutes orationi admiscendas: Petro fidem, Jacobo spem, et Joanne charitatem; quas si adhiberes, tu saepe in oratione tua transfigurareris, resplenderet enim facies ab illustrationibus divinis, et candesceret vestis ab operibus sincerissimae intentionis.

3. Cons. modum transfigurationis: *Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta*

sunt alba sicut nix. Haere aliquantisper in contemplatione hujus pulcritudinis, et adora splendentem per corpus humanum divinitatem. Deinde gratias age, quod ex gloria sibi debita se per totam vitam spoliarit propter te. Quid tu propter illum? etc.

LXXVII.

Continuatio.

1. *Apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes.* Cons. illos potissimum apparuisse, qui prae reliquis zelaverant legem, uterque quadragenario jejunio nobilis, etc.; et ut discerent Apostoli legem et prophetas per Christum perficiendos. Apparuerunt autem etiam ipsi cum ingenti gloria ad majorem Christi honorem, et ut intelligeretur justos fore similes suo Capiti. Loquebantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Jerusalem. Vere excessus fuit doloris, excessus meritorum et satisfactionis, excessus amoris quo eramus indigni. Et de Passione loquuntur in gloria, ut discas consolationes eo referendas, ut libentius pro Christo patiaris, neque metuas hic excessum, cum omnia quae patiaris infra meritum et debitum futura sint.

2. Interea, teste S. Luca, dormiebant Apostoli, ut tepidi solent in oratione. Evigilantibus autem illis et visa Christi majestate, ait Petrus: *Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula,* etc. Si tantum potuit unica gloriae scintilla ut Petrus sui et rerum omnium oblivisceretur, quid fiet ubi *inebriabimur ab ubertate domus Dei?* etc. Sed vere nesciebat Petrus quid loqueretur, qui

Christi Passionem hac ratione volebat impeditam, et continuam consolationem quaerebat in hac vita, in qua crux ferenda est, etc.

3. *Nubes lucida* Spiritus sancti *obumbravit eos, et vox* Patris *de nube: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Sic honorabitur quem Deus voluerit honorare.* Attende Christum tibi a Deo Patre datum esse in Magistrum, ut ipsum audias. Ne igitur in posterum amplius attendas nec fallaciis daemonis, nec sophismatibus mundi, nec prudentiae carnis, sed a Christo disce quid tibi agendum fugiendumque sit.

LXXVIII.

De lunatico sanato.

1. Ex comparatione hujus lunatici, considera feritatem quam daemon exercet in peccatorem. *Mutum* facit, ne peccata sua confiteatur, ne loquatur divina; *surdum*, ne audiat inspirationes; *lunaticum*, id est, inconstantem in bono; *allidit terrae*, ut per affectum ei inhaereat; *spumat et stridet*, per foeditatem et impotentiam verborum; *arescit*, quia insensibilis ad divina: tunc *in ignem* cupiditatum *mittit*, nunc *in aquam* mundanorum desideriorum; neque Discipuli possunt eum liberare, qui neque concionatorum, neque confessariorum opera juvatur. Qualiter suos daemon tractabit in inferno, qui sic vexat in mundo adhuc viventes!

2. Christus etsi graviter detestaretur Judaeorum incredulitatem, veluti causam malorum omnium, ut et taederet illum inter ipsos vivere, misertus

tamen, jussit miserum adduci ad se. Ne igitur unquam, ne in castigationibus quidem et poenis, de illius bonitate despera: *cum* enim *iratus fuerit, misericordiae recordabitur*. Excitatur deinde fides parentis: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*. Mira fidei potentia, quam proinde petes in te augeri dicendo cum parente: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*. Praesta quod potes, et roga pro eo quod minus potes, etc.

3. Ad imperium quidem Christi exiit spiritus, *sed exclamans, et discerpens* miserum, *ita ut mortuus putaretur:* non enim sine difficultate peccator diabolo et carni renuntiat, videturque mundanis mortuus, qui Christo vivere incipit. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum. Utinam teneat manum tuam, ut omnes operationes cedant in gloriam illius! et elevet te de affectibus terrenis!

LXXIX.

Commendatur humilitas, et scandala prohibentur.

1. *Quis putas major est in regno Coelorum?* Viderant Apostoli Petrum caeteris praeferri, maxime in tributi solutione quam Christus pro se et Petro fieri jusserat. Hinc invidiola, et curiosa inquisitio, etc. Ita etiam nunc nonnulli ob gratias, ob merita, ob statum efferuntur; et quam id stultum, quam incertum, quam vanum est! Qui de gratiis extollitur, superbit de alieno, non de suo; gratia enim Dei es quod es, et gravem rationem reddes ejus quod accepisti, si tuum feceris, etc. Merita autem quanta sint, unde habes, qui ignoras an amore, an odio dignus sis? Cum omnia feceris quae

praecepta sunt tibi, dic: Servus inutilis sum; quod facere debui feci, etc. Nil debetur facienti quod debet, quid omittenti tam multa? Denique quid tibi confert status altior et perfectior, nisi altius et perfectius vivas? Quanto altior, tanto casus gravior; et quanto perfectior, tanto plurium transgressor, si juxta eum non vivis. Similis vanitas etiam eorum qui annos Religionis numerant, non profectum; plane ut si quis jactaret se viginti annis grammaticae studuisse, qui adhuc primas declinationes ignoraret.

2. Christus reprimit eorum superbiam, adducto in medium parvulo: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Coelorum.* Innocentia igitur, simplicitas et humilitas pueri imitanda est, etc.

3. *Vae homini per quem scandalum venit!* Adverte hic: 1. Ne tu aliis scandalum ullum praebeas, tum quia Angeli eorum vident faciem Patris, tum quia Filius hominis venit salvare quod perierat. Tu ne fac ut pereat quod salvatum est. 2. Cave illos qui tibi scandalo sunt, etsi manu et oculo tibi forent cariores, etc.

LXXX.

De Ove perdita.

1. Cons. Christum idcirco parabolam hanc proposuisse, tum ut Discipulos non tantum deterreret a scandalo non dando, sed etiam animaret ad peccatores revocandos a vita sua mala et perdita, tum ut retunderet invidiam et malitiam Pharisaeorum, qui *murmurabant quod cum peccatoribus et publicanis manducaret.* Disce ergo omni modo et ubi-

que homines ad meliorem vitam instigare, eoque animo te illorum conversationi ingere, non ut sensualitati tuae satisfacias, nihilque aliud agas inter saeculares quam saecularia et vana.

2. Cons. Christum vere pastorem esse qui in montibus, id est Coelo, reliquit novem choros Angelorum, venitque quaerere unam ovem perditam, genus humanum et te. Et quantis laboribus et sudoribus, imo quanto sanguine, quanto affectu eam repertam humeris suis imposuit! quo gaudio sibi congratulatus est! Vide igitur ne iterum te perdas, qui sic quaesitus, inventus es, etc.

3. *Ita gaudium erit in Coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent poenitentia.* Non quod non delectet Deum et Angelos continuata sanctitas, sed quod specialem quamdam rationem gaudii adferat nova et quodammodo insperata conversio peccatoris. Sed adverte hic non dici fore gaudium super uno peccatore reperto, sed *poenitentiam agente.* Non potest peccator *effugere manus Dei viventis,* in iram vel gaudium, etc. Poenitentiam igitur age, id est, perpetrata plange et plangenda non perpetra, ut Deum et Angelos oblectes, etc.

LXXXI.

De Filio prodigo.

1. Cons. prodigum petiisse a patre substantiam, cum illa abiisse in regionem longinquam, ibique dissipasse vivendo luxuriose. Tu prodigus ille; substantia, dona Dei sunt, tum naturae, tum gratiae, regio longinqua, regio diaboli et peccati est, ubi

haec bona tua dissipasti: et nota non tantum dissipari cum quis peccat, sed etiam cum quis opera sua ad Deum non refert, quod est multum seminare et inferre parum, comedere et non saturari, etc., uti est apud Aggaeum.

2. Considera prodigi miserias: Famulum se fecit civi regionis illius, id est, Daemoni, ut pasceret porcos, seu brutas suas et sordibus detritas passiones; et ne siliquis quidem implere ventrem poterat, quia nihil prodigae satis est voluptati, et falsa terrenaque bona mentem coelestium aeternorumque capacem saturare non possunt. Vide ergo statum miserum peccatoris, qui, falsa specie libertatis delectatus, dum a Patre amantissimo recedit, abjicit se in tyrannicam diaboli servitutem, etc.

3. Cons. quomodo se tandem excitarit consideratione bonorum relictorum in domo patris. Et tu cogita quam secura jucundaque sit vita eorum qui in Religione juxta institutum recte vivunt, et ad eorum normam te reforma. Imo dic *quanti mercenarii*, id est, quot saeculares, quot mechanici, et in Religione indocti coadjutores *abundant panibus*, donis gratiae, spiritualibus solatiis, *et ego fame peribo*? Ita ne surgant indocti, et Coelum rapiant, et nos cum doctrinis nostris sine corde volutabimur in carne et sanguine ad porcorum siliquas! Ibo, *ibo ad Patrem*, etc. Hic filioli affectu te illi redde, ut saltem *faciat te unum de mercenariis suis*, etc.

LXXXII.

De Debitore decem millium talentorum.

1. Cons. te esse debitorem decem millium talentorum, ob decem praecepta toties violata; deinde, te non habere unde reddas, quia neque de tuo, neque de tuis viribus potes vel minimo peccato satisfacere; denique imminere poenam ut ipse omniaque tua divendantur, id est, spolieris omnibus donis tum naturae, tum gratiae. Quare Dei misericordiam humillime implora: *Patientiam habe in me*, donans tempus satisfaciendi, *et omnia reddam tibi*, mediante tua gratia et meritis Christi. Et attende ineffabilem Dei misericordiam, qui rogatus statim miseretur, et non tantum debitorem dimittit, sed et *remittit omne debitum*, etc.

2. Cons. quam similis sis servo illi debitori, qui, impetrata remissione decem millium talentorum, pro debito centum denariorum crudelissime conservum suum suffocabat, idque statim, et conservum suum, et quidem similiter deprecantem, etc. Ita tu, cum maxima tibi a Deo et aliis remitti postulas et impetras, minimam et vel verbulo factam injuriam dissimulare aut oblivisci non potes

3. Audi exprobrantem regem: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne oportuit et te?* etc. Deinde attende monentem Christum: *Sic et Pater meus*, etc. Et disce remittere injurias: 1. Quia Deus jubet. 2. Quia sumus fratres. 3. Quia habes multa tibi ab aliis remittenda. 4. Quia tanto majora tibi remittit Deus, etc.

LXXXIII.

De Villico iniquitatis.

1. *Redde rationem villicationis tuae*, etc. Cons. unumquemque nostrum esse villicum Dei, a quo villam animae, corporis, fortunarum, ingenii, doctrinae, caeterorumque bonorum tam naturalium quam supernaturalium, colendam accepimus. Quae omnia si alio quam ad Dei gloriam impendimus, reddemus rationem in die Judicii. Cogita igitur quam difficile illud tibi accidet, qui tam inutiliter omnia consumis, etc.

2. Cons. villici commentum, et vide quid non faciat prudentia saecularis ut evadat incommoda temporalia, cum tu de cavendis aeternis malis tam parum sis sollicitus. Inquire ergo modos quibus reparare in posterum possis ea quae hactenus neglecta sunt, ut de reddenda ratione sis securior; idque non speculative tantum, ut scias quid te facere oporteat, sed etiam tandem facias, ne in tempus illud differas, quando non licebit amplius tibi villicare aut mereri.

3. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, non tam corporales eleemosynas pauperibus conferendo, quod tuarum facultatum non est, quam homines juvando spiritualibus auxiliis doctrinae, eloquentiae, aliorumque talentorum tuorum, quae hactenus tam inique et male consumpsisti, ut ii, quos juveris, tibi assistant, etc.

LXXXIV.

De decem Leprosis.

1. Cons. per decem leprosos designari transgressores Decalogi, aut eos qui graves aliquas retinent imperfectiones. Nam: 1. Ut leprosi suo anhelitu alios corrumpunt, ita hi sua conversatione. 2. Ut in leprosis multa ulcera, et continua sitis, sic imperfecti continuo in novos defectus prolabuntur, nec ullis voluptatibus aut recreationibus satiantur. Vide autem, ut tales curentur, debere stare a longe, id est se valde humiliare, agnoscendo suam miseriam; deinde toto corde illis implorandum est Dei auxilium.

2. Cons. Christum mittere leprosos ad Sacerdotes, ut discas peccata tua non solum Deo, sed etiam Sacerdotibus confiteri: *dum autem irent, mundati sunt*, ob meritum fidei et obedientiae: et idcirco libenter et statim divinae inspirationi pareas, etc.

3. Cons. unum tantum, tanto accepto beneficio, gratum fuisse, eumque Samaritanum et alienigenam; quia, etsi plerique in necessitatibus ad Deum recurrant, pauci tamen postea grati sunt, et plerumque magni peccatores gratiores sunt, dum suam indignitatem aestimant. Disce gratias agere pro beneficio reconciliationis, ut tanto plus merearis, sicut credibile est hunc etiam idcirco curatum a lepra animae, etc.

LXXXV.

De Epulone et Lazaro

1. Cons. disparem vitam Epulonis et Lazari: hic mendicus est, ille dives; hic ulceribus plenus, ille indutus purpura et bysso; hic frustra cupit saturari de micis, ille epulabatur quotidie splendide: et in his tamen omnibus Lazarus Deo placet (unde et Christus ejus nomen non reticuit, utpote quod scriptum erat in libro vitae), Dives vero invisus, unde homo quidam dicitur; et disce non capi pompa exteriore vestium et fortunarum, sed potius vitam et mores attende, eosque ama et reverere in quacumque fortuna, etc.

2. Confer mortem utriusque: mors Lazari vilis hominibus, sed pretiosa in conspectu Dei et Angelorum, qui illum in sinum Abrahae deportarunt; mors autem Divitis, etsi non sine pompa et luxu exequiarum, miserrima, dum illius anima sepelitur in inferno, ubi pro purpura et bysso flammis operitur, pro gula cruciatur siti intolerabili, pro duritia et inhumanitate sua ne guttam quidem aquae, vel extremo Lazari digito destillatam, impetrat. Atque ille finis est superbiae et deliciarum, sicut Lazari gloria finis miseriarum. Elige, etc.

3. Cons. Dei judicium, juxta illud: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua*, etc.; quasi dicat neminem bis felicem esse posse, quod et S. Catharina in oblatione duplicis Coronae intellexit. Unde, si tibi e voto succedant omnia, metue, et elige hic potius quam in altera vita cruciari, etc.

LXXXVI.

De bono Pastore.

1. Cons. Christum vere bonum esse Pastorem, cum nos pascat cibo corporali, pane solidae doctrinae, pane sui Corporis et Sanguinis, denique cum posuerit animam suam pro ovibus suis. Deinde vide qualis tu Pastor sis respectu poenitentium tuorum, respectu tui ipsius: bonus, si illos pascis ter, juxta sanctum Bernardum: exemplo conversationis, verbo praedicationis, fructu orationes; bonus, si oves tuas, intellectum, voluntatem et sensus tuos bene pascis, contra mundum, carnem et daemonem eos defendendo, et animam tuam potius ponendo quam ut in peccatum consentiant, etc.

2. Cons. conditiones mercenarii, quod scilicet *veniente lupo fugit et dimittit oves:* hoc est quod, ingruentibus difficultatibus, incommodis et tentatione, non pergis proximo nec tibi benefacere, sed fugis et declinas laborem, proximumque tibi commissum et te diabolo permittis laniandum: idque quia non amas proximum sicut te ipsum, neque te propter Deum. Vere mercenarius, quia quaeris quae tua sunt, non quae Jesu Christi, propria et temporalia commoda sectaris, honores ambis. Vide ne aliquando audire debeas: *Recepisti mercedem tuam.*

3. Cons. conditiones bonarum ovium esse, ut sint simplices, humiles, innocentes, obedientes, in omnibus utiles et patientes in adversis; denique ut cognoscantur a Pastore, nil occultando aut dis-

simulando; et tandem ipsae etiam Pastorem suum cognoscentem agnoscant, etc. Talem te Superioribus et Confessariis tuis exhibe.

LXXXVII.

De Operariis in vinea.

1. Cons. sicut Deus verus Paterfamilias ab initio statim mundi per legem naturae, deinde per legem scriptam, ac tandem per Evangelium, vocavit operarios in vineam suam: sic in lege Evangelica primum Apostolos, deinde alios atque alios Religiosorum ordines, ac veluti hora undecima tandem Societatem nostram, ad operandum excitavit. Pro paterna illa cura gratias age. Ac demum attende, si vinea Religio est aut perfectio christiana, aliquos ad illam summo mane, id est a pueritia, alios in adolescentia, aut aetate virili, aliquos demum in senectute evocari. Atque Deum lauda, quod te evocarit in adolescentia tua. Sed vide ne hic otiosus sis, qui scias etiam illos de otio reprehendi, quos nemo conduxit, etc.

2. In redditione praemii, attende: Mercedem datam esse novissimis, eamque aliis aequalem, tum ut Deus ostendat potestatem suam: *An non licet mihi quod volo facere?* tum etiam liberalem bonitatem: *An oculus tuus*, etc., *quia ego bonus sum?* tum quia Deus non attendit quamdiu quis laboraverit, sed quantum et quanto fervore; saepe enim numeramus annos conversionis, sed saepe parvus est fructus emendationis. Utinam vel una die bene! etc.

3. In murmurantibus observa mores tepidorum, id est tuos: 1. De se praesumunt: *Nos portavi-*

mus pondus diei et aestus. 2. Alios prae se contemnunt: *Illi una hora fecerunt*, illi juvenes, etc. 3. Aliis invident, etc. 4. Illis omnia gravia et difficilia, socii laboris, sed non consolationis, etc.

LXXXVIII.

De praedictione Passionis.

1. Cons. alacritatem Christi ad mortem pro salute tua pergentis: *Ecce*, inquit, *ascendimus*, non casualiter, sed scienter et provide; non coacte, sed voluntarie; non timide, sed constanter. *Ecce ascendimus:* nemo me vocat, nemo me admonet, nullius potestatis praeceptum timeo, nulla violentia compellor. Imo vero, bone Jesu, compelleris violentia tui erga me amoris. Movebit igitur et me amor tui, ut ad mortificationem, ad crucem, ad labores ascendam. Nota Christum uti verbo illo *ascendimus*, ut opprobria et crucem pro gloria et honore quaereremus, etc.

2. Cons. cur Christus Passionem suam Discipulis saepius praedixerit, 1. Ut, cum eveniret, non scandalizarentur, minusque turbarentur. 2. Ut praedicendo eos solidaret in fide suae divinitatis. 3. Ut eorum memoriae tanti beneficii magnitudo altius infigeretur. Recordare igitur et tu saepe illius beneficii, et tuas quoque cruces praevide, atque ad fortiter tolerandum te praemunias.

3. Cons. Ecclesiam proponere hoc Evangelium Dominica Quinquagesimae, quando Christiani non Christum nec Deum, sed Bacchum colunt per Bacchanalia, ut vere dixerit se tradendum gentibus et illudendum, etc: ut non tantum tu a tali li-

centia ex consideratione et propter amorem tam amarae Passionis retraharis, sed etiam alios quacumque potes ratione compescas, etc.

LXXXIX.

De Filiis Zebedaei.

1. Cons. mores ambitiosorum pulcre hic exprimi; nam: 1. Cum Christus de Passione sua et resurrectione locutus fuisset, non ad illam, sed tantum ad gloriam resurrectionis attendunt. 2. *Volumus*, inquiunt apud Marcum, quasi eorum voluntas debeat esse ratio dandi sine ulla resignatione. 3. *Ut quodcumque petierimus*, in quo apparet magna praesumptio, quasi nihil negari illis debeat. 4. Conspirant ambo fratres contra reliquos omnes. 5. Utuntur matris opera, quia saepe tales videri nolunt quod sunt, et occultis artibus ad dignitates contendunt. Circa vitium hoc te examina, etc.

2. Benigne redarguuntur a Christo: *Nescitis quid petatis.* Vere nescit quid petat, qui petit honores; nam, ut bene ait quidam: « Si alliciat sinistra quoad honoris dignitatem, deterreat dextera quoad oneris gravitatem: » et quanto status altior, tanto casus gravior. Et cur aliis vivas, tibi moriturus? Bene vivit, qui bene latet. Deinde, si sedem gloriae petebant in regno coelesti, etiam nesciebant quid petebant, qui petebant praemium ante certamen, et petebant illud dari quod mereri oportebat. Attende merito idem responderi posse male orantibus, nempe si petatur aliquid terrenum, aut etiam spirituale sine resignatione et intentione non pura; si aliquid extraordinarium, ut

revelationes, si sine debita dispositione, et alia cooperatione, etc. Haec devita.

3. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Ostendit Christus veram viam perveniendi ad gloriam, nimirum cum illo patiendo; et quis cum illo nolit? Pro me ille voluit, et ego pro me non potero? Possum, Domine, sed pro te, et summi beneficii loco habeo quod me tui calicis prius participem facias, ut deinde gloriae, etc.

XC.

De Caeco apud Jericho.

1. *Sedebat secus viam mendicans.* 1. Cons. te caecum illum esse privatum utroque oculo cognitionis et amoris, caecitate ignorantiae et passionis, ideoque sedere, id est, non progredi, non proficere in via virtutis. 2. *Secus viam*, deficiendo a recta et pura intentione, participando adhuc multum de saecularibus desideriis; et quamvis non procul a via sedeas, idest non graviter delinquas, non tamen es in via, neque vita quam currunt et vivunt alii religiosi Socii tui, et maxime Dux tuus Jesus. 3. *Mendicans*, scilicet solatia adhuc a creaturis, non a Creatore.

2. *Jesu, fili David, miserere mei.* Cons. magna fide et contentione implorandam tibi divinam misericordiam, neque curandas esse oblocutiones et increpationes quae potissimum fiunt: 1. A remorsu conscientiae ob peccata praeterita, quae gignit diffidentiam. 2. Ab occupationibus, et cura rerum externarum et temporalium. 3. A tepidis Religiosis, aut saecularibus a quibus subinde hypocrita audies. Sed hinc potius excitare, ut multo magis

clames, ut clare horum omnium vanitatem videre possis, etc.

3. *Stat Jesus, et caecum jubet adduci ad se*; adductumque rogat, quid sibi fieri velit. Ecce quam promptus est facere voluntatem timentium se! Audacter ergo dic: *Domine, ut videam:* non opes, non honores, non vanam scientiam postulo; quia qui recte vident, vident ista omnia merissimas esse vanitates. Tantum videam, et cognoscam te et me: te ut amem, me ut contemnam, etc.

XCI.

De Zachaeo

1. Cons. initium conversionis Zachaei fuisse fervens desiderium videndi Jesum, neque nudum et sterile desiderium, sed etiam applicationem mediorum opportunorum, etsi parum ejus statui convenire viderentur, ut nimirum *princeps Publicanorum et dives* in arborem ficum fatuam ascenderet inspectantibus omnibus; sed aliter Jesum videre non potuisset: 1. Prae turba, prae tumultu rerum temporalium, nisi illas jam altior despexisset. 2. *Quia statura pusillus erat*, animo in res terrenas et viles depresso, nondum magnus fide et bonitate, etc. Ita tu te tandem a terrenis eleva, et magno excelsoque animo, plenus fiducia divina, conscende in arborem crucis et mortificationis, etc., maxime ante sacrum, etc.

2. Cons. Christi benignitatem: non tantum videndum se, sed etiam hospitem et convivam facit Zachaei: *Zachaee, festinans descende*, etc. 1. Proprio eum nomine compellat, ut ostenderet eum jam sibi notum. 2. Festinare jubet, quasi anhelans

iis benefacere qui illum quaerunt. 3. *Quia hodie*, non differt gratiam suam. 4. *Oportet*, quasi necessitate quadam ad benefaciendum compelleretur. 5. *Me manere*, non obiter transire, etc. Eadem cogita tibi dici, quoties ad sacrum te paras, etc.

3. Cons. promptitudinem et gaudium Zachaei. Vide reverentiam: *Stans autem*, etc. Audi ferventia et generosa illius proposita: *Dimidium bonorum*, etc. Similiter tu fac, cum in hospitio cordis tui foves eumdem Dominum, ut tandem audire merearis: *Hodie huic domui salus facta est*, etc.

XCII.

De Pharisaeo et Publicano.

1. Cons. vitia orantis Pharisaei: 1. Omnes, *caeteros* contemnit, iisque se praefert. 2. Levia quaedam sua opera comparat cum gravibus aliorum sceleribus, inde sibi vane complacens. 3. Proximum temere judicat. 4. Jactat sua opera. 5. Denique nihil Deum rogat, quasi nullius auxilii aut gratiae egens, sed numeris omnibus absolutus. Haec tu vitia fuge, si quid a Deo obtinere desideras.

2. Attende orationem Publicani: 1. *A longe stat*, indignum se reputans qui appropinquet Deo, vel etiam Pharisaeo. 2. *Non audet levare oculos*, prae pudore, ob vivam apprehensionem suorum peccatorum. 3. *Pectus percutit*, ex animo contrito, et cupidine satisfaciendi. 4. Veniam sibi uni petit, se solum reputans peccatorem. 5. Paucis orat, confidens de divina misericordia, et sciens quod

Deus magis attendat ex quanto, quam quantum quis loquatur. Imitare.

3. Audi sententiam Christi de utroque: *Amen dico vobis: descendit hic*, id est Publicanus, *justificatus* ab illo et prae illo Pharisaeo; et vide quantum malum sit superbia, quae non est causa tantum malorum operum, sed etiam veluti tinea ipsa bona opera corrodit, et consumit omnia: dico omnia; nam ira, verbi gratia, solum tollit patientiam, avaritia liberalitatem, sed superbia omnibus inimica virtutibus est; sicuti, e contrario, humilitas disponit hominem ut a peccatis omnibus liberetur. Vae ergo tibi, si te exaltas! etc.

XCIII.

Lazarus resuscitatur.

1. Cons. quam sollicitae fuerint sorores pro fratre suo Lazaro; nam mittunt ad Christum, et verbis plenis fiducia et resignatione necessitatem suam insinuant: *Ecce quem amas, infirmatur.* Deinde, mortuo jam fratre, Christo venienti occurrunt, non desperant, tantum suaviter expostulant: *Si fuisses hic.* Ita tu pro anima tua languente (utinam non aliquando mortua!), pro proximo tuo cujus salus tibi commissa est, facias: non tam longa quam ferventi prece, nunc amicabiliter insinuando, nunc instanter orando.

2. Cons. cur Christus qui tantopere familiam illam amabat, ut videns sorores flere, infremuerit ipse quoque spiritu et fleverit, etc., tamen non tantum Lazarum permiserit infirmari, sed etiam mori et sepeliri, adeo ut foeteret, etc.: nempe pro gloria Dei, ad augendam fidem eorum qui tanti

miraculi essent spectatores. Ita Deus saepe permittit aliquos non tantum tentari, succumbere et mori spiritualiter, sed etiam sepeliri, id est, pravas peccandi consuetudines contrahere adeo ut foeteant, ut publice infames sint, etc. Unde fit ut per talis hominis conversionem magis glorificetur Deus, ut ipse homo fiat cautior humiliorque.

3. Cons. circumstantias omnes resuscitati Lazari, et eas conversioni peccatoris applica: 1. *Ubi posuisti eum?* en examen. 2. *Tollite lapidem*, id est, duritiem cordis. 3. *Elevat Christus oculos*, quia orandum. 4. *Clamat voce magna*, quia inspirationibus parendum. 5. *Prodit* Lazarus *ligatus* malis habitibus, etc.

XCIV.

De Coena in Bethania.

1. Cons. Magdalenam (quae olim pro remissione peccatorum) nunc in gratiarum actionem pro fratre resuscitato unxisse iterum pedes Domini, et deinde fracto alabastro, reliquum effudisse in caput ejusdem, etc. Ungis tu pedes Domini, quando proximi saluti serio incumbis. Frangis vero alabastrum, et omnia effundis in caput illius, si ex istis et aliis tuis operibus nihil humanum spectes, sed omnia sincere referas ad Dei gloriam: quod si facis, tota domus, id est Ecclesia, replebitur odore virtutum tuarum.

2. Cons. 1. Judae et aliorum Discipulorum obtrectationem et murmur, quia nunquam desunt qui obtrectent benefactis, vel malo affectu, ut Judas, vel zelo imprudenti, ut caeteri. 2. Vide quam speciose Judas malevolentiam suam et cupiditatem

palliet zelo misericordiae in pauperes: ita saepe vitiis nostris virtutes praeteximus, zelum irae, providentiam cupiditati, carnalitati charitatem, etc. 3. Murmur a Juda coeptum reliquos invasit: tanta vis est exempli mali, maxime si boni speciem prae se ferat, etc.

3. Cons. quomodo tacentis Magdalenae causam suscipiat Christus, non tantum Discipulos arguendo et factum hujus excusando, sed etiam commendando et laudando. O quis nolit reprehendi et contemni ab hominibus, ut babeat Deum defensorem et laudatorem? juxta illud Psal. 117: *Impulsus, eversus sum* (ab hominibus) *ut caderem; Dominus suscepit me,* etc.

XCV.

De ingressu Christi in Jerusalem.

1. Cons. cur Christus paucis ante Passionem diebus tam solemniter ingredi voluerit in civitatem: 1. Ut adimpleretur etiam ea scriptura. *Ecce Rex tuus venit,* etc. 2. Ut ignominia Passionis augeretur, eo jam omnibus notissimo. 3. Ut demonstraretur plebis inconstantia, et malitia, quae nunc *hosanna,* etc., post paucos vero dies, *tolle, tolle, crucifige,* clamabit. 4. Ut declararet se non occulte, non timide, sed voluntarie venire ad Passionem. Tu in honorificis maxime quaere occasiones te humiliandi, et noli rebus secundis nimium fidere.

2. Considera apparatum. Asinam et pullum asinae adducunt, ut jussi erant Discipuli; vestibus onerant potius quam ornant; ascendit Jesus Rex mansuetus; ex plebe vero alii substernunt vestimenta

sua, alii frondes et ramos caedunt, alii clamant *Hosanna! Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël!* etc. Tu adduc asinam, animam, inquam, tuam, ut eam fraenare eique insidere Christus dignetur, etc. Vestimenta, id est, rerum temporalium et externarum curam substerne divinae Providentiae. Scinde ramos et frondes, id est, superflua reseca, mortifica passiones tuas, ut cum palma, id est victoria tui, occurrere Christo tuo possis, etc.

3. Cons. ex altera parte invidiam et rancorem Pharisaeorum, ut etiam auderent Christum monere, juberent tacere Discipulos suos. Sed taceant illi, lapides loquentur, adeo Dei gloria dissimulanda non est. Alii vero dicebant: *Nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum abit.* Utinam! utinam!

XCVI.

De fletu Christi.

1. Cons. quam tenerum sit Cor Salvatoris tui, ut etiam defleat miserias hominum, idque in publica alioquin laetitia; sed id facit: 1. Ut ostendat se parum affici externo solo cultu et honore, ut alibi etiam queritur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum* (quod unum quaero) *longe est a me.* 2. Ex charitate, quia intime dolebat tot sua opera, etiam Passionem suam, tam multis fore in ruinam et damnationem. 3. Quia in Jerusalem repraesentabat sibi totum mundum, atque peccata omnium, etiam nominatim mea, quae ego longe justius deflebo, quia illa deflevit Jesus meus.

2. *Si cognovisses et tu, et quidem in hac die.*

1. Cons. causam malorum omnium esse ignorantiam, aut caecitatem cordis, quod vera bona et vera mala non dignoscamus, sed permittimus nobis a diabolo poni velamen super cor nostrum, ut non apprehendamus quantum bonum sit gratia Dei, quantum malum sit peccatum. Deinde non attendimus inspirationibus et vocationibus divinis. 2. *Et quidem in hac die tua.* Nihil nostrum est, nisi haec dies, imo nisi hoc momentum; praeterita transierunt, futura incerta sunt. Quidquid agere vis jam age, postea forte non licebit, aut non magis lubebit quam nunc.

3. Praedicit eversionem civitatis, quae facta deinde est a Romanis. Sed tu cogita in illa praedici quoque angustias, et miserias, et eversionem hominis peccatoris in morte, qui in vita non cognovit tempus visitationis suae et gratiae divinae, etc.

XCVII.

De Vinea.

1. Cons. Christum per vineam illam expressisse Synagogam Judaeorum, quam Deus tot favoribus affecerat *circumdando illi sepem*, id est custodiam Angelorum, *fodiendo torcular*, id est dando altare, *aedificando turrim*, id est templum, seu Scripturam sacram, etc., quibus omnibus gentes carebant, et tamen fructum nullum retulisse, imo multos Prophetas, qui fructum exigebant, et tandem Christum filium Patris familias occidisse. Confer hic summam Judaeorum malitiam et ingratitudinem cum maxima Dei bonitate, longanimitate et patientia, ut judices merito tandem punitos.

2. Cons. per vineam intelligi posse Ecclesiam

Matrem, in qua, praeter custodiam Angelorum, et sacrae Scripturae libros, sunt Sacramenta, veluti quaedam torcularia redundantia: et tamen quos fructus multi reddunt Patrifamilias? quoties servos illius (internas monitiones, concionatores, etc.) repellunt? quoties peccatis gravioribus Dei Filium iterum crucifigunt? Ut merito timere debeas ne, postquam vinitores malos per bella, famem et pestem (quae heu! nimium jam experimur) perdiderit, *tandem vineam suam locet aliis agricolis*, id est Ecclesiam suam ad Indos, Japones et Sinenses transferat.

3. Cons. etiam intelligi posse Societatem Jesu, in qua *sepes* Regulae sunt, *torcular* tot gratiae singulares, *turris* nomen Domini et Providentia divina. Hic tu *vinitor* es. Vide quem hactenus fructum retuleris, et cogita an non quicumque alter, si eam gratiam habuisset, plus profecisset. Time ergo, et patientia Dei non abutere, etc.

XCVIII.

De nuptiis et coena magna.

1. Cons. per invitationem illam ad nuptias filii Regis, id est Christi, tum cum humana natura, tum cum Ecclesia desponsati, designari vocationem tam ad fidem quam ad gratiam, qua Judaeos vocarunt Apostoli; sed quia partim excusarunt se ob curam rerum temporalium, quibus etiamnum toti inhaerent, partim ipsos invitatores pessime tractarunt, persequendo, flagellando, occidendo, nos eorum loco invitati sumus, et quotidie benignissime invitamur. Tu vide ne quid te impediat, aut excludat a gratia. Vide ut vestem nuptialem in-

duas, expolians veterem hominem cum actibus suis, etc., ne ejici merearis.

2. Coena magna gloriam coelestem repraesentat: *coena*, quia post labores diei, post vitam; *magna*, 1. ob affluentiam bonorum: neque enim oculus vidit, etc.; 2. ob convivarum multitudinem cum Angelis, Patriarchis, etc.; 3. ob durationem perpetuam, sine fine et fastidio: ad hanc omnes invitat, qui vult omnes salvos fieri. Sed excusant se 1. superbi, vani, et curiosi; 2. avari, et curis terrenis dediti; 3. carnales et voluptuarii, quibus quodammodo videtur impossibile ut veniant. Tu haec impedimenta remove sincera observatione trium votorum tuorum, et ad coenam illam quotidie magis ac magis aspira.

3. Applicare hoc poteris convivio Eucharistiae, eo quod vere magnum est ob excellentiam ferculi quod est ipse Deus et homo Christus; et felicitatem tuam aestima, qui quotidie hoc ferculo vesceris, modo ne careas veste nuptiali, veste gratiae et charitatis, et purae intentionis. Alioquin timere merito posses ne *ligatis manibus*, etc.

XCIX.

De numismate census.

1. Cons. nequitiam Pharisaeorum, qui adeo Christi sermonibus ex parabolis emendati non sunt, ut etiam omnes occasiones quaesierint eum perdendi; cumque id aperte nondum auderent, tentant dolo submissis Discipulis suis et Herodianis, etc., qui eum caperent in sermone; et vide: 1. Ne unquam eo usque indurari patiaris cor tuum, ut monitiones et reprehensiones non amplius admittas. 2. Si

crediderunt illi Christum, quem nunquam peccare viderant, capi tamen posse et labi in sermone, diligenter attende verbis tuis, et pone custodiam ori tuo, etc.

2. Audi quaestionem: 1. Ordiuntur ab adulatione; non quod supra verum illi aliquid affingerent, sed quod animo maligno, non sincero: *Magister, scimus quia verax es*, etc. Si scitis, cur veritati dicenti et docenti veritatem non creditis? 2. Quaerunt: *Licetne censum dare Caesari, an non?* Si annuat, jam peccabit in Pharisaeos et Judaeos, qui se exemptos volebant; si neget, jam capietur ab Herodianis, qui erant tributi exactores. Sed frustra rete jacitur ante oculos cuncta videntis et scientis. Ora illum ut non patiatur te capi adulationibus, neque labi in sermone.

3. Christus igitur ostendi sibi petit numisma, rogatque cujus sit illa imago et superscriptio; respondentibusque illis esse *Caesaris: Reddite*, inquit, *quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo*, etc. Tu interea cur animam tuam insignitam imagine Dei Omnipotentis alteri das quam Deo? redde illi cui illam tot debes nominibus, quique illam conservabit, etc.

C.

Reprehenduntur Pharisaei.

Ex pluribus quae Christus Matthaei cap. XXIII reprehendit in Pharisaeis, haec potissimum considera:

1. *Dicunt et non faciunt; alligant enim onera gravia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Quoties optime scis

monere et instruere alios ad virtutem, cum ipse nihil facias? Quoties in alios es austerus, qui in te semper es benignus? Aut fac quod dicis, aut sile quod non facis; alioquin periculum est aut superbiae, aut confusionis: superbiae, quamdiu ignoratur tuam vitam a verbis dissidere; confusionis, simul ut hoc patuerit.

2. *Vae vobis qui decimatis mentham*, etc.: 1. Quae vobis utilia sunt tota diligentia quaeritis; quae vero ad Dei gloriam spectant, negligitis. Quoties illatam tibi levem injuriam vindicare conaris, et gravissimas Deo factas injurias, quasi ad te nihil spectarent, dissimulas; plenus zelo dum privata tua res agitur, iners et piger quando publica et Dei? 2. *Decimant mentham*, etc., qui magis cavent offendere homines aut iis displicere, quam Deo. 3. Qui parva scrupulose curant, ut caeremonias quasdam et ordinationes Religionis, magna vero et substantialia, ut vota, violant, etc.: *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.*

3. Comparat Christus Pharisaeos calici exterius mundo, sed intus foedo; item, sepulcris dealbatis, etc. An non tu talis, foris justus, intus plenus iniquitate? *Hypocrita*, si bonum est non esse malum, cur non vis esse quod vis apparere? si malum est, cur vis esse quod non vis apparere? Nam quod turpe est apparere, turpius est esse, etc. Aut esto quod appares, aut appare quod es, etc.

CI.

Praedictio desolationis.

1. Cons., *si videris in loco sancto*, id est in Ecclesia vel Religione, aliquam *desolationem*, id est

mores corruptiores, quid te facere oporteat? Nempe: 1. *Fuge ad montes*; noli attendere quid imperfecti, quid tepidi faciant, sed quid sancti et perfecti viri fecerint. Horum altissimas virtutes contemplari et imitare stude. 2. *Mane in tecto aut agro*, id est in quocumque te Deus loco aut officio posuerit, ibidem persevera, tibi et muneri tuo attendens, ut excellas in tecto contemplationis et in agro operationis, etc.

2. Cons. quid cavere debeas: 1. Ne sis *praegnans aut adhuc lactans*, id est, ne sis tantum gravidus bonis desideriis et propositis, sed ea actu exequere, idque constanter, ut in virtutibus soliditatem aliquam, quae defectibus aliorum non corrumpatur, acquiras. 2. *Ne fiat fuga tua hieme*, id est, ne frigide Sanctorum vestigiis insistas, augebis enim desolationem potius alioquin quam effugies. 3. Sed *neque Sabbato*, id est, cum vanitate quadam et propria aestimatione et aliorum contemptu. Quid enim refert, si alios perdat dissolutio, et te evertat superbia?

3. *Propter electos breviabuntur dies illi:* id tibi in omnibus difficultatibus et molestiis, quas vel alii inferunt, vel ipse in virtutum exercitio pateris, ingere: non fore diuturnas, forte hodie, forte hac hora finientur. Quis nequeat uno die, una hora pati aliquid? quis nolit recte vivere? imo, si recte advertis, quidquid pateris aut agis momentaneum est, quia quod passus es jam praeteriit, quod futurum est nondum pateris, etc.

CII.

De signis extremi Judicii.

Vide Meditat. XIV primae Partis.

CIII.

Expectandum Judici. m.

1. Cons. ideo occultum esse diem Judicii, ut tanto majori sollicitudine vivamus. Nempe latet ultimus dies, ut observentur omnes dies, ne dies Domini nos inveniat imparatos. Vigilemus ergo, jugiter insistendo bonis operibus, et non torpeamus in peccatis dormitando, etc.

2. Ne putemus satis esse si una die vel una hora vigilemus, adducitur exemplum Patris familias furem timentis, et illa maxime hora vigilantis, qua scit illum venturum. Ita, quid nobis proderit pluribus horis vigilasse, si illa dormimus qua mors et judicium nos occupant? Vigilemus ergo omni hora, *quia nescimus qua hora Filius hominis venturus est*, neque unquam vel momento audeamus vivere in tali statu in quo mori non auderemus, etc. Nam securus non exit, qui male securus exit.

3. *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris.* Vide modum hic praescribi, quo vigilandum est: 1. In genere praecingimus lumbos, cum declinamus a malo; lucernas ardentes tenemus, cum facimus bonum. 2. Praecingimus lumbos per castitatem, lucernas accendimus per charitatem qua proximos juvamus; sed prius illud, quia charitas sine castitate facile transit in car-

nalitatem. 3. Praecingimus lumbos per contemptum temporalium, lucernas accendimus per amorem coelestium, etc.

CIV.

De decem Virginibus.

1. Cons., etsi per decem Virgines communiter intelligatur congregatio fidelium, particularius parabola tamen accommodari potest statui religioso: 1. Quia omnes ibi virgines, non tantum propter votum castitatis, sed quia etiam per paupertatem et obedientiam continent se a dominio rerum temporalium et propriae voluntatis. 2. Quia peculiari quadam ratione sanctitatem profitentur, atque adeo, acceptis virtutum et boni exempli lampadibus, exeunt e saeculo et mundana licentia, ut obvient Christo venienti, etc. Felix si prudentes Virgines imiteris, contendasque ne quid tibi desit ad rite occurrendum! etc.

2. Cons. fatuis Virginibus esse similes qui lampades quidem habent, sed non oleum, sine quo tamen lampades extingui necesse est: id est, veritates fidei tenent, sed non charitatem, quae fidem vivificat; lucent exterius per opera quaedam, sed interna virtute carent; alios recte docent, sed seipsos negligunt; profitentur perfectionem, sed ab ea longe absunt, vanam gloriam et favores hominum captantes: vere fatui, qui Judicem omnia pervidentem eo apparatu exspectant! etc.

3. Cons., etsi dum vivimus facile nobis blandiamur de externa aliqua specie probitatis, minusque de interna charitate et solidis virtutibus simus soliciti, quando tamen in morte occurrendum erit

Sponso, clare videbimus lucernas nostras extingui, nihil prodesse gratias, et favores, et adulationes hominum, neque quidquam sperandum esse nisi a propriis operibus, etc.

CV.

De Talentis.

1. Cons. 1. Deum non eodem modo partiri bona sua, sed alteri plus, alteri minus tradere, tum quia Dominus est distribuens singulis prout vult, nulli debitor; tum quia quosdam praevidet melius usuros, etc.: omnibus tamen ad salutem sufficientia largitur, ita ut qui parum accepit desperare non debeat, neque insolescere cui multum datum est, imo vero magis timere; nam, cum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum. 2. Attende non dari, sed tantum tradi bona, Deo reservante sibi plenum et absolutum dominium, ut iis non tanquam tuis, sed tanquam Dei utaris, et non ad tuam, sed ad illius gloriam, etc.

2. Servos non eodem modo uti talentis acceptis: nam *qui quinque acceperat operatus est in eis, et lucratus est alia quinque similiter; et qui duo acceperat, lucratus est duo:* ita ut nullum talentum fuerit otiosum; et quamvis secundus minus lucratus sit, parem tamen contentionem adhibuit. At tertius, sive ex negligentia, sive ex malitia, sive ex pusillanimitate et vano timore domini sui, *talentum suum fodit in terram et abscondit.* Tu quantum potes, tantum conare, ne ulla gratia in te sit vacua, neque metu quidem tentationum aut distractionum cessa ab operando. Deus te juvabit.

3. Cons. praemium bene operantium esse: 1. Quod

Deus in illis delectetur: *Euge*, inquit; quae vox laetantis est. 2. Quod Deus eos laudet: *Serve bone et fidelis*, etiam saepe in hac vita glorificando. 3. Quod valde in illis gratiae et merita augeantur: *Super multa*, etc. 4. Gloria et gaudium aeternum, etc. Oppone his poenam otiosorum, quid male operantium, etc.

CVI.

De extremo judicio.

1. Postquam Christus per parabolas docuerat auditores suos bene vigilare, praeparare se, et bene operari, ne mors aut judicium eos occuparet imparatos, tandem clare docet et prosequitur modum divini Judicii: 1. Quoad Judicis conditiones. 2. Quoad statum judicandorum. 3. Quoad sententiam. Cons. ergo: 1. Judicis conditiones fore, quod judicabit in forma humanitatis, in qua fuit injuste judicatus, tum ut ab omnibus videatur, qui in forma divinitatis videri non potest a malis; tum ad horrorem malorum, qui *videbunt* eum *in quem confixerunt: Veniet autem in majestate* sua, cinctus Angelis, etc. 2. Status judicandorum erit, quod boni, statim separati a malis, ad dextram collocabuntur: quanto suo gaudio! quanto illorum horrore!

2. *Venite, benedicti Patris mei*, etc. *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, etc. Prius ad bonos se convertit quam ad malos, tum ut eos honoret, tum ut ostendat se promptiorem ad praemia quam ad poenam Causam autem hujus suavissimae sententiae confert in opera misericordiae quibus probi vacarunt et quidem corporalia, ut videamus etiam minima praemiari, et quidem tanto,

quod obstupescentes Sancti dicent: *Quando vidimus te*, etc., quod dicit: Nesciebamus certe tantillis operibus deberi tantam mercedem, etc.

3. *Ite, maledicti.* Discedite a me fonte bonorum omnium, *in ignem* non temporalem, sed *aeternum*, ad societatem non amicorum, nec bonorum, sed daemonum, idque ob neglecta opera misericordiae corporalia; quid ob multo graviora tua peccata? etc.

VIAE ILLUMINATIVAE

TERTIA PARS

DE PASSIONE CHRISTI

I.

De Agno paschali.

1. Cons., etsi Christus ad esum agni paschalis non obligaretur, nihilominus amore divinorum praeceptorum, et ut quodammodo se ad instituendum sacramentum Corporis et Sanguinis sui disponeret, missis duobus Petro et Joanne ad hominem lagenam aquae bajulantem, sollicite jussit coenaculum praeparari: ut disceres, praeter innocentiam vitae observationemque divinorum praeceptorum (quae quidem optima est ad communionem dispositio), requiri actualem aliquam praeparationem proximam per actus fidei, charitatis et contritionis, etc.

2. Ex aliis quoque caeremoniis quas Christus juxta legis praescriptum sine dubio adhibuit, disce alias bonas dispositiones ad Communionem: 1. Succingendi sunt lumbi per puritatem omnino angelicam, qui tangis et manducas carnem illam virginem de virgine Matre assumptam. 2. Calcea-

menta sint in pedibus, per passiouum mortificationem : Agnellus exhorret quidquid mansuetum quietumque non est. Sint baculi in manibus, per constantem bonorum operum exercitationem, etc.

3. *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum :* requiritur ergo fames, sine qua, sicut cibi omnes alioquin optimi desipiunt, ita, si sine desiderio et appetentia Communionem accedas, quid mirum erit si nullam dulcedinem neque fructum sentias?

II.

De Lotione pedum.

1. Cons. profundissimam humilitatem Christi Domini ad pedes Discipulorum suorum, quin et proditoris sui Judae, se abjicientis. Nempe Dominus Majestatis, Splendor Patris, Rex Angelorum, Dominator Coeli et terrae, veluti abjectum mancipium, *surgit a coena*, *ponit vestimenta sua*, *praecingit se linteo*, *aquam* apportat, *mittit in pelvim*, et geniculatus lavat sordidos pedes Discipulorum suorum. Sed quid mirum est, si *surgit a coena*, *et ponit vestimenta sua*, *qui cum in forma Dei esset*, *exinanivit seipsum?* quid mirum si mittit aquam in pelvim ut lavaret, etc., qui venerat fundere totum sanguinem? A Domino igitur et Magistro disce humiliari, disce aliis libenter et sedulo ministrare.

2. Cons. varios affectus Discipulorum. Judas tam admirabili humilitatis atque amoris actu nihil movetur, sed praesumptuose id obsequium patitur; alii cum stupore et reverentia id tolerant; at Petrus coeteris ferventior: *Tu*, inquit, *mihi*

lavas pedes? Tu, quem paulo ante Filium Dei confessus sum, *mihi* vermiculo, piscatori, peccatori? etc. Similis te admiratio occupet, dum post confessionem absolveris, ubi te Christus non jam aqua, sed sanguine suo abluit, etc.

3. *Nisi lavero te, non habebis partem*, etc. Cons., etsi Petrus esset de numero eorum qui non indigebant nisi ut pedes lavarentur, id est, peccata venialia tollerentur, tamen audiit, *nisi lavero te*, ut discas etiam venialia tolli debere ut placeas Christo.

III.

De institutione venerabilis Sacramenti.

1. Cons. tempus institutionis, nimirum *pridie quam pateretur:* 1. Ut magnitudinem sui amoris ostenderet, tam eximium donum hominibus tunc conferendo, quando ipsi adversus ipsum crudelissime conspirabant, ut vicissim nos nullis unquam adversis ab illius amore separemur. 2. Ut demonstraret desiderium suum manendi semper nobiscum, voluit in procinctu sui discessus nobis testamento relinquere non opes, sed quod majus est bonis omnibus, seipsum Deum et hominem. 3. Ut vivam Passionis suae memoriam nobis relinqueret; fortius enim illa imprimuntur, quae circa mortem parentes filiis commendant, etc.

2. Cons. modum institutionis, nimirum post esum agni juxta legis praescriptionem, post lotos Discipulis pedes: *Accepit panem et calicem, et gratias agens benedixit et dedit Discipulis suis:* ut discas Communioni praemittendam esse observationem divinorum mandatorum, et sacramenta-

lem etiam venialium confessionem aut detestationem saltem; deinde agnoscendum esse tanti beneficii magnitudinem, et pro eo agendas gratias; denique, ut te totum dares ei qui totum se tibi donavit, etc.

3. Cons. cur sub speciebus panis et vini: 1. Ex amore, ut se intimius nobis uniret; uniamur ergo, etiam nos illi per mutuum amorem. 2. Ut ostenderet omnes effectus conferri animae, quos cibus et potus praestant corpori, ut hinc conservaremur, roboraremur, etc. An id experiris?

IV.

Insinuatur proditor.

1. *Jesus turbatus spiritu* ob induratam Judae malitiam, cum videret se hactenus nihil tot amoris indiciis effecisse, ulterius tentat eum a pessimo proposito revocare, insinuando se totius proditionis conscium: *Unus ex vobis me tradet*; neque se proditorem ignorare: *Qui intingit mecum manum*, etc.: ex quo etiam vehementer exaggeratur proditoris perversitas (sicuti de Achitophele queritur David: *Tu homo unanimis, dux meus*, etc., *qui simul mecum dulces capiebas cibos*, etc.); non nominat tamen, ut parcat ejus famae: tandem, aeternum supplicium minando: *Vae homini per quem Filius hominis tradetur*. Disce hinc quibuscumque modis homines a suis vitiis revocare, sed cum mansuetudine.

2. Cons. caeteros undecim Discipulis, etsi non essent istius noxae conscii, contristatos tamen esse, et timuisse, quod plus crederent Magistro scrutanti *corda et renes* quam conscientiae propriae;

nam bonarum mentium est ibi culpam formidare, ubi culpa non est. Et tametsi scirent se nihil hactenus de proditione cogitasse, timebant tamen, conscii infirmitatis suae et labilitatis humanae, ne in peccatum istud laberentur. Unde singuli interrogant: *Numquid ego sum, Domine?* Time et tu, neque ita sis de praesentibus securus, ut futura non pertimescas.

3. Cons. 1. Christum soli Joanni in sinu illius recumbenti indicasse proditorem, tum quia illum singularis virginitas capacem fecerat tantorum secretorum, tum ut desineret timere, qui tam purus erat. Stude ergo puritati, si testimonium habere vis bonae conscientiae. 2. Attende quomodo Judas, accepta buccella, sit a daemone porrorsus, continuoque exiverit.

V.

Christus venditur.

1. Cons. quis vendatur: nempe Filius Dei et Dominus omnium, qui natura sua inaestimabilis est: triginta argenteis dumtaxat aestimatur! Sicuti pro me formam servi accepit, ita servi pretio vendi voluit pro me, sed ut me pretiosissimo suo sanguine redimeret. O humilitatem! o charitatem! quam vili homini Jesus! quam homo pretiosus Jesu! Illum triginta argenteis, imo momentanea voluptatula saepe vendimus; ille totum se tradit ut nos emat. Simus ergo illius qui sic nos acquisivit, etc.

2. Cons. quis vendat et cur: vendit discipulus et unus ex duodecim quibus Dominus dederat potestatem pellendi daemones, sanandi infirmos, et

velut amicis secreta sua manifestaverat; sed cur? ex inordinato appetitu habendi quem nunquam extirpaverat, sed usu loculorum etiam auxerat, ita ut deficiente lucro coeperit murmurare, deinde etiam odisse Christum, ac tandem etiam pretio vendere. Securim igitur ad radices nostrarum passionum ponamus, neque unquam credamus nos stabili esse loco cum cadere possimus aeque ac e Coelo Lucifer, e Paradiso Adam, e convictu Christi et coetu Apostolorum Judas, etc.

3. Cons. quibus vendatur: nempe capitalissimis hostibus jam congregatis, et consultantibus *quomodo Jesum dolo tenerent et occiderent:* ita ut diabolus opportune intraverit tum in Judam, suaseritque ut ea occasione uteretur. Caveamus aliquid aggredi animo perturbato, etc.

VI.

Contentio Apostolorum et praedi ti› scandali.

1. Cons. quam periculosa sit ambitio, quae se etiam saepe in coetum Religiosorum insinuat; eoque pejor, quod non quaeratur quis sit major, quod sola virtute et sincera humilitate acquiritur, ubi Christus hic docet: *Qui major est in vobis, fiat sicuti minor; et qui praecessor est, sicut ministrator:* ne putemus idcirco aliquem aliis praefici ut iis dominetur, ut solent reges gentium, sed tantum ideo ut fiat forma gregis, ut subditos vero virtutis exemplo praecedat. Non, inquam, quaeritur quis sit major, sed quis videatur esse major judicio hominum scilicet, non Dei: quod vanissimum est. Tu effice potius ut homini-

bus videaris esse minor, et ab illis contemnaris, ut in oculis Dei sis major, etc.

2. Christus ut suos in humilitate contineat, de secuturo mox lapsu eos commonet: *Omnes vos scandalum patiemini*; ut, si praesens bona vita te extollat, deprimat metus inconstantiae et peccatorum, in quae quamdiu vivis labi potes; nec imiteris praesumptionem Petri dicentis: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.* Imo vero, etsi nemo scandalizatus fuerit, nisi tamen peculiaris gratia tua me confirmet, ego scandalizabor, qui caeteris omnibus debilior sum, etc. Hoc humili tua cognitione te reddes cautiorem, et capaciorem divinorum auxiliorum.

3. *Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum*, etc. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, etc. Disce hinc: 1. Neminem tentari nisi Deo permittente. 2. Divina gratia superari posse tentationes omnes. 3. Quod conversus a peccato debeat alios, suo malo edoctus, instruere et reddere cautiores, etc.

VII.

Ex sermone Christi.

1. *Manete in dilectione mea:* amari petit, qui omnibus titulis amari ultro deberet, tum (ut omittam caeteros titulos creationis et conservationis) *quia prior dilexit nos*, et infinita quidem dilectione: *Sicut*, inquit, *dilexit me Pater, et ego dilexi vos*; tum quia amorem suum tot et tantis indiciis probavit, quando *seipsum nobis et pro nobis tradidit, ponens animam suam pro ovibus suis*, pro hosti-

bus suis. Si ergo incentivum amoris est amor, quantum decet nos eum amare qui tantum amavit nos! Et quia probatio amoris est exhibitio operis: *Si*, inquit, *diligitis me, mandata mea servate*, hoc igitur modo probemus amorem nostrum. Attende praeterea fructus hujus amoris: 1. *Qui diligit me, diligetur a Patre, et ego diligam eum.* 2. *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* 3. *Et manifestabo ei meipsum*, tum in hac vita per contemplationem, tum in altera facie ad faciem, etc.

2. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Et: *Hoc est praeceptum meum.* Cons. quantopere cordi illi sit ut proximum diligamus, cum id tam graviter inculcet. Vocat autem *mandatum novum* et *praeceptum* suum: 1. Quia est fundamentum novae legis, quae in charitate fundatur. Unde etiam primorum Christianorum *erat cor unum et anima una.* 2. Quia per illud renovamur spiritu in adoptionem filiorum Dei. 3. Quia traditur nova amandi regula, nempe *sicut dilexi vos*, non tantum sicut seipsum, non carnaliter, nec verbo, nec lingua, sed sicut Christus dilexit te, sed spiritualiter in bonum spirituale proximi, idque opere et veritate.

3. Circa hos duos amores te examina: quantopere Jesum ames, quantopere proximum. Sitque lapis lydius observatio praeceptorum, et sicut dilexit ipse.

VIII.

Prosecutio.

1. Commendat suis orationem: *Petite, et accipietis.* Et disce circumstantias orationis bonae: 1. Est fiducia quidvis impetrandi: *Quodcumque,* inquit, *petieritis;* nam bonus est et potens quem rogamus; et qui Filium suum donavit, *quomodo non omnia nobis cum illo donabit* et per illum? Quae 2. est circumstantia, ut per Christum petas: *Quodcumque petieritis in nomine meo;* ut non nostris, sed Christi meritis innitatur fiducia nostra. 3. Ut nihil petat, nisi quod decet Deum largiri, et peti in Christi nomine, et tibi expedit; alioquin censeberis nihil petere, sicuti modo audire debuerunt filii Zebedaei: *Usque modo non petistis quidquam,* etsi petivissent nuper *ut unus sederet a dextris,* etc. 4. Ut quidquid petitur referatur ad Dei gloriam: *Ut glorificetur Pater in Filio,* etc.

2. Consolatur Discipulos et ad patiendum animat: 1. Exemplo suo: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur; non est servus major domino suo.* 2. Quia est signum divinae electionis: *Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos; propterea odit vos mundus.* 3. Quia succedit gaudium: *Tristitia vestra vertetur in gaudium,* quod exemplo mulieris parturientis confirmat. 4. Spe praemii aeterni: *Accipiam vos ad meipsum, ut, ubi ego sum, et vos sitis.* 5. A praesenti suo auxilio: *Non relinquam vos orphanos;* et: *Modicum, et videbitis me, et gaudebit cor vestrum.* 6. Quia est signum divini amoris: *Ipse Pater amat vos,* etc. 7. A spe victoriae: *Confidite, quia ego vici mundum.* His ergo te robora, etc.

3. Petit tria pro Apostolis: 1. *Serva eos, ut sint unum sicut nos.* 2. *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* 3. *Sanctifica eos in veritate.* Consolationi autem tibi sit illud: *Non pro iis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt,* etc.

IX.

Iter ad hortum, et tristitia.

1. *Et egressus, ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum:* 1. *Secundum consuetudinem,* quia se solebat ad orandum recipere: ut discas nunquam omittere consueta pietatis exercitia, etsi impedimenta tibi objiciantur, imo tum magis iis incumbere, utpote magis necessariis. 2. Ibat eo quo Judas venturum eum sciebat, ut ostenderet se non fugere periculum, sed voluntarie ire ad mortem: *Oblatus* enim est *quia voluit;* deinde: *Ut,* inquit, *cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi, facio.* Atque haec quoque sit norma tuarum operationum et tuae voluntatis, non cupiditas gloriae, non sensualitas, etc.

2. *Coepit pavere, taedere et maestus esse* is qui paulo ante tantopere pati desideraverat, ut diceret: *Pater, venit hora, clarifica Filium,* quasi pati claritas ipsius esset et splendor. Sed angebatur, non tam metu tormentorum, etsi ea vivacissime illi repraesentarentur, quam consideratione peccatorum totius mundi, et nominatim tuorum, tuaeque ingratitudinis. Voluit praeterea pati eam tristitiam, ut discas similes angores et melancholias

fortiter cum tuo Duce tolerare, neque ideo animum abjicias, credasque te a Deo derelictum.

3. Cons. remedia illi tristitiae adhibita a Christo: 1. Patefecit Discipulis suis, etsi ab ignorantibus et semi-sopitis solatium nullum expectaret, ut discas omnes tentationes et adversitates tuas Superiori et Confessario aperire, imo etiam in missionibus Coadjutori, ut per illam humilitatem solatium a Deo merearis. 2. Fugit ad orationem, remedium unicum. Ita tu in ariditate vim tibi fac, et dic saltem: *Domine, vim patior.* Domine, sum tentatus, etc.

X.

Oratio in horto.

1. *Et ipse avulsus est ab eis, et positis genibus orabat.* 1. *Avulsus est,* tum ut ostenderet naturae vim inferendam, quae in similibus tristitiis et desolationibus ad humana quaerenda solatiola inclinat; tum quia oratio secessum requirit, ut quis in secreto liberius affectibus suis indulgeat. 2. Nota situm orantis, humi positis genibus; imo, prae reverentia procidit in faciem suam. 3. Perpende singula verba orationis: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ubi nominatim attende perfectam resignationem in re tam ardua, et imitare.

2. Cons. sollicitam charitatem Christi: abrumpit orationem suam, ut Discipulos ad vigilandum orandumque hortetur. Ita tu sic propriae saluti incumbes, ut non obliviscaris proximi tui, etc. *Et invenit illos dormientes.* Oh! quoties dormis, cum

in salute tua procuranda maxime foret excubandum! quoties te merito Christus increparet: *Sic non potuisti una hora vigilare mecum!* tu, qui totam vitam tuam mihi consecrasti (*etsi oportuerit me commori*, etc.), non potes aut non vis una hora serio incumbere orationi? et una hora, quae forte erit postrema et principium aeternitatis!

3. Christo eamdem orationem jam tertio iteranti *apparuit Angelus confortans eum*, ut decreto Patris aeterni satisfaceret, moriendo pro salute hominum. Cui illico se conformavit, eam vim inferens naturae humanae, ut prae agonia etiam sanguinem sudaret. Detestare igitur mollitiem tuam, qui ubique sensualitati tuae obtemperas, cum soli violenti rapiant Coelum.

XI.

Osculum Judae.

1. *Surgite, eamus: ecce qui me tradet prope est.* Cons. hic fructum orationis: Christus apprehensione opprobriorum, tormentorum et mortis ignominiosissimae pavebat, taedebat, et moestus erat, adeo ut etiam prae angustia diffluueret sudore sanguineo; simul ut oravit: *Surgite*, inquit, *eamus*, occurramus, amplectamur omnia, etc. Ita nos, si serio tali remedio uteremur, saepe sic confirmaremur, ut etiam anhelaremus ad ea quae nobis prius difficillima videbantur, ita ut nec luberet apud Superiores deprecari aut petere contrarium.

2. Cons. hinc intolerabilem Judae impudentiam et malitiam, inde Christi mansuetudinem: ille salutat quem perdere volebat, vocat Magistrum cuius

discipulus esse nolebat, osculatur quem oderat: vivum exemplar hypocritarum et politicorum nostrorum, qui foris angeli, intus diaboli, nunquam blandiuntur nisi cum insidiantur. At Christus: *Amice*, inquit, *ad quid venisti?* Amicum vocat quia paratus erat si resipuisset eum in amicitiam recipere. Ad quid venisti? Non ad hoc te elegeram, o Juda, aut in coetum duodecim Apostolorum vocaram; et *osculo Filium hominis tradis!* Videamus ne nobis aliquando eadem objici a Jesu possint, si parum digne ambulemus in vocatione nostra, si sola specie virtutis contenti simus, si donis et talentis abutamur, etc.

3. Christus ut ostenderet se ne tum quidem ab armatis et tali proditione capi posse nisi vellet, solo verbo: *Ego sum*, omnes prostravit! Oh! quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Sed merito id accidit male Christum quaerentibus. Tu illum quaere corde contrito et humiliato, ut te salvet. Attende praeterea charitatem Christi pro suis solliciti: *Sinite hos abire*, et spera tibi non defuturum, etc.

XII.

Comprehensio.

1. Audi Christum suaviter et mansuete expostulantem: 1. *Tanquam ad latrones existis cum gladiis et fustibus.* Quid armis necesse est contra inermem? quid opus violentia adversus eum qui se ultro tradit vestrae potestati, et quem, nisi vellet, nulla teneret violentia? O dulcissime praedo animarum, depraedare cor meum et omnes potentias meas, etc. 2. Exprobrat quod quotidie publice in

templo docentem non tenuerint, tum ut insinuet eorum ingratitudinem qui hac mercede compensent illius labores, illorum bono impensos; tum ut ostendat se non capi, nisi quando vult. 3. Tandem se omnino permittit eorum crudelitati: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum*; agerent quidquid propria rabies et daemonis instinctus suggererent: idque propter te, ut tu tandem etiam te illius divinae voluntati et dispositioni suavissimae totum committas.

2. *Tunc injecerunt manus in Jesum, et tenuerunt eum.* Contemplare quo id furore faciant Agno mansuetissimo: pulsant, vellunt, trudunt, trahunt, manus illas mirabilium operatrices funibus catenisque vinciunt. Vere bone Jesu, *circumdederunt te vituli multi, tauri pingues, obsederunt te, aperuerunt super te os suum sicut leo rapiens et rugiens*; idque pateris, tum quia amor mei arctius te constrinxerat, tum quia aliter vincula iniquitatis meae dissolvi non poterant: et pergam texere nova vincula? Non faciam, etc.

3. *Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt:* illi nimirum quibus tamquam summis amicis revelarat Christus omnia divina mysteria; illi qui nuper dixerant: *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes*; qui modo se obtulerant comites usque ad mortem. Time ergo ne et tu aliquando deficias, et perseverantiam pete, attendens principium omnis mali potissimum fluxisse ex somno tempore orationis.

XIII.

De gestis apud Annam.

1. *Et adduxerunt eum ad Annam primum.* vel quia domus Annae erat in itinere ad domum Caiphae, vel quia, cum esset socer hujus, credebant id gratum Caiphae futurum, vel ut laudem etiam aliquam ab illo et mercedem reportarent, exultantes hac in re pessima, et de tali praeda gloriosi. Similiter facit quisquis gaudet cum male fecerit, et de peccatis suis gloriatur. Porro attende quomodo et quam crudeliter Christum huc raptarint manibus post terga revinctis, fatigatum a longa oratione, et sanguineo sudore maxime debilitatum; et disce non indignari, si subinde obedientia te trahat quo minime velles.

2. Annas Christum *interrogat de Discipulis et doctrina*, non amore discendae veritatis, sed ut ex responso illius captet occasionem illum accusandi et condemnandi. Tu animo sinceriore hunc Magistrum tuum audias, non tam ut scias, sed ut practice quae didiceris facias. Deinde considera prudens Christi responsum: *Ego*, inquit, *palam locutus sum mundo, semper docui in synagoga et templo; interroga eos qui audierunt, ecce hi sciunt*: hi nimirum inimici mei, quos ad demonstrandam innocentiam meam audeo appellare in testes. Nam, si pro se loqui hic Christus coepisset, sine dubio dixissent quod olim: *Tu de ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* De Discipulis ideo tacuit, quod sibi honori non essent, uno existente proditore, aliis omnibus desertoribus. Ita tu, quod laudare non potes, dissimula.

3. *Unus ministrorum dedit alapam Jesu.* Cons. gravitatem hujus injuriae: facit vilissimus nebulo, ut domino suo aduletur. Tot spectantibus, et omnibus approbantibus, fit innocentissimo, nulla causa data. Unde, *si male,* inquit, *locutus sum,* etc. Fert tamen patienter, qui jure vindicare se statim potuisset. Et tu toties nocens, nec minimum verbulum vis pati!

XIV.

De negatione Petri.

1. Ille qui protestatus erat se non scandalizandum, *etsi omnes scandalizati fuerint;* qui asseruerat se non negaturum, sed potius commoriturum; qui paulo ante in horto contra armatos milites gladio Dominum defendere conatus fuerat, nunc ad vocem vilis ancillulae prosternitur, et negat se nosse eum quem olim confessus erat Filium esse Dei vivi, etc. Neque semel negat, neque simpliciter, sed iterum et tertio, idque cum juramento et execratione: ut discas nunquam tuis viribus fidere, nunquam tibi securitatem pollicéri. Si nutare ista Petra potuit, quid faciet arundo debilis?

2. Cons. id accidisse: 1. Quia *sequebatur eum a longe,* tepide, imo frigida charitate. Frigus enim fuisse notat Evangelista non tam temporis quam amoris, nec tam corporis quam affectus. Ita prorsus mala dispositio est eorum Religiosorum, quibus satis est Christum sequi a longe; sed videant ne, data occasione peccandi, et Christus iis a longe sit, neque tam copiosum praebeat auxilium. 2. Quia occasiones non declinavit, sed admiscuit se malorum consortio: ita qui cum sae-

cularibus tantum agunt otiosa, curiosa et de rebus novis, facile a daemone inducuntur ut tandem factis ipsis Christum negent, etc.

3. *Et conversus Dominus respexit Petrum, qui egressus foras flevit amare.* Cons. hic benignitatem Christi inter tormenta sua recordantis oviculae suae tam graviter aberrantis, ut eum oculis misericorditer aspiceret. Hinc velut a sole dissolutum frigus Petri, hinc illae lacrimae amarae ex corde contrito et humiliato, hinc ille egressus et fuga occasionum, sine qua vera poenitentia esse non potest. Imitare, etc.

XV.

De gestis apud Caipham.

1. Cons. quale judicium instituatur adversus ipsam Innocentiam: 1. Judices erant invidia et ambitione corrupti, qui ipsi *quaerebant falsum testimonium adversus Jesum*; quod si ultro a malevolentia oblatum fuisset, refutare debuissent aequi judices. 2. *Et non invenerunt, etsi multi falsi testes accessissent:* nimirum, nemo ipsam Innocentiam, ipsam Sanctitatem arguere potest de peccato. 3. *Jesus autem tacebat:* neque ulla ratione melius vincitur calumnia quam tacendo, maxime in manifesta innocentia, cum saepe soleat in responso captari occasio aliquid calumniandi. Quare similes injurias tacitus Deo committe, etc.

2. Princeps Sacerdotum, impatiens prudentissimi illius silentii, et nullam dari occasionem quaesitae calumniae et condemnationis, Christum adjurat, ut dicat sitne Filius Dei? Cui Christus: *Tu dixisti.* 1. Vide igitur reverentiam quam Christus

nomini Dei detulit, ut non nisi adjuratus responderit, etsi sciret adjurationem illam animo maligno factam, et ex responsione sua imminere certam mortem, etc.: ut nullus te metus aut respectus a propagatione divini honoris detineat. 2. Ne praesenti conditione deciperentur: *Amodo*, inquit, *videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei*, etc. Hac quoque spe gloriae te in adversitatibus tuis momentaneis consolare.

3. Cons. perversitatem sententiae. Christus quia veritatem dixerat, qui non poterat mentiri, blasphemasse dicitur, et statim communi calculo judicatur reus mortis. O quis tunc sensus Christo tuo! nempe qui tibi esse deberet, si subinde maligne sugillantur et pervertuntur dicta factaque tua, etc.

XVI.

Continuatio.

1. Cons. Christum voluisse in domo Caiphae debellare maximum hostem nostrum, amorem propriae existimationis, dum permisit ut sua bonitas sanctitasque, cujus comparatione aliorum sanctitas umbra tantum est, non solum non agnosceretur, sed etiam haberetur pro blasphematrice ipsius Dei *(blasphemavit, ecce ipsi audistis blasphemiam)*; idque apud inquisitionem Judaeorum, et Sacerdotum Principes, qui eum ut talem condemnarunt. Itaque speculum sanctitatis pro sordibus reputatur, et tu pannus menstruatae vis esse apud omnes in bona opinione; vis haberi sanctus et spiritualis; turbarisque, si vel minimo judicio tua simulatio detegatur.

2. Cons. ex hoc Caiphae Sacerdotumque judicio secutum ut, unusquisque reputans eum hominem pessimum, non modo nulla commiseratione moveretur, sed etiam pietatem adversus illum existimaret impietatem, ut fieri solet adversus insignes malefactores: hinc statim *(tunc) exspuerunt in faciem ejus*; hinc *colaphis eum ceciderunt*; hinc *palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit*, miseriis omnibus addentes acerbissimam irrisionem. Compatere, et pati disce.

3. *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum*, haud dubie vocando eum *daemoniacum, Samaritanum, voracem, potatorem vini, amicum peccatorum, violatorem sabbati, seductorem*, etc. Quantarum injuriarum causae sunt peccata mea! etc.

XVII.

Judae desperatio.

1. *Tunc videns Judas quod damnatus esset poenitentia ductus retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi*, etc. 1. Fortasse persuaserat sibi Judas fore ut Christus sua se virtute e manibus Judaeorum eriperet, aut saltem signis et doctrina sic permoveret ut eum non damnarent, eaque persuasione liberius avaritiae suae succubuerat. Ita nos saepe malitiam non excutimus donec peracta est, daemone et propria cupiditate oculos fascinantibus. At ubi peccavimus, subinde sic exaggeratur malitia, ut cum Caino dicamus: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*; aut cum Juda desperemus. Ante peccatum attende Dei justitiam, post peccatum vide misericordiam: illud. ut metuas of-

fensam; hoc, ut speres veniam. 2. Cons. quid Judae defuerit ad veram poenitentiam: male acquisitam pecuniam refert, confitetur peccatum; quia tamen spes veniae defuit, neque recurrit ad Deum, sed ad homines, etc., nil obtinuit, etc.

2. Respondentibus Sacerdotibus: *Tu videris, projecit argenteos in templo, et abiens laqueo se suspendit.* Adverte: 1. Eos qui in hominum gratiam Deum deserunt, saepe ab illis ipsis deseri: *Quid ad nos?* inquiunt, *tu videris.* Sed numquid non ad vos, qui illum pecunia induxistis ut Dominum suum et sanguinem justum proderet? 2. Vide malae conscientiae gravem carnificinam, ut nec confusionem nec laqueum metuat, nec retinere apud se possit tanto scelere emptam pecuniam: nempe ipsa expleta cupiditas tortor est peccatori. 3. In Juda apprehende infelices exitus apostatarum a Religione.

3. Cons. praeposteram religionem Sacerdotum, qui non dubitant Christi sanguine manus suas inficere, et pretium sanguinis timent mittere in corbonam, etc. Ita saepe magnam Dei offensam, quia occulta est, parvi pendimus, et rem parvam, quia publica est, magni facimus, etc.

XVIII.

De gestis apud Pilatum.

1. *Et confestim mane Jesum duxerunt, et tradiderunt Pilato.* Cons. studium et diligentiam Judaeorum in male agendo: totam noctem insomnem duxerant, ut quaererent adversus Jesum falsa testimonia: *confestim mane,* simul atque dies illuxit, ne quid negligeretur, tradunt illum Pilato,

neque desistunt donec morti adjudicatus sit. Utinam qui professionem facimus bene agendi, ea contentione et studio bene ageremus, quo reliqui male, vel quo nos ipsi aliquando pessime! Adverte praeterea superstitionem illorum: non introëunt in praetorium, ne contaminentur, et Innocentem ad mortem usque persequi non dubitant, mortemque ignominiosissimam. Credibile est eos idcirco Jesum Pilato tradidisse, ut crucifigeretur: quo genere mortis illi afficere nullum poterant, etc. O quoties nos quasdam externas caeremonias, quam substantialia Religionis vota pluris facimus!

2. Pilato petente quam accusationem afferrent, responderunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Nota horum superbiam: sufficere volunt quod ut reum tradant, absque alia criminis discussione, quasi innocentem tradere non vellent, justissimi homines scilicet. Et tu, bone Jesu, diceris malefactor, qui benefeceras omnibus, idque fers patienter et tacitus; feram igitur et ego, cum malum pro bono reddetur.

3. Tria accusationis capita contra Jesum mentiuntur, invidia et odio caecati: 1. *Invenimus*, inquiunt, *subvertentem gentem nostram*, quem sciebant morbos omnes curasse, vitia reprehendisse, et nominatim docuisse obedientiam Scribis et Pharisaeis praestandam. 2. *Prohibentem tributa dari Caesari*, qui dari jusserat, et pro se et pro Petro dederat. 3. *Et dicentem se regem esse*, qui, ne rex fieret, fugerat. Quid ergo indignaris, anima mea, si facta tua aliqua in pejorem partem trahuntur?

XIX.

Continuatio.

1. Pilato privatim petenti num esset rex, respondit se esse; sed *regnum* tamen *non esse de hoc mundo*. Contemplare: 1. Consistere hic Creatorem, Deum et Dominum, eumdemque Judicem vivorum et mortuorum, ut ab homine, servo, idololatra judicetur; sed quia nos peccando vilissimas creaturas praetuleramus Creatori, subjiciendus fuit Creator judicio creaturae, etc. 2. Considera regnum Christi vere non esse de hoc mundo, neque simile regnis mundanis, quae multo satellite defenduntur, florent opibus, pompis et deliciis; sed consistere in splendore animae, in paupertate, humilitate, patientia, et rerum mundanarum contemptu: quae si in te reperis, jam subditus illius Regis es.

2. *In hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati:* quid enim aliud Christus nascendo intendit, nisi ut mundum ab erroribus, idololatria et peccatis liberaret? ut doceret vanitatem rerum, quas mundus colit et admiratur? ut discas tum de illius regno te fore, si a vanitatibus hujus saeculi abhorres, si alios ad veram fidem et sanctam vitam studeas convertere. Attende praetera similes esse Pilato roganti *quid esset veritas*, et, non audito responso exeunti, qui, cum aliquid de humilitate, abnegatione sui et similibus virtutibus audiunt vel legunt, dissimulant, neque ad se pertinere arbitrantur.

3. Fatetur Pilatus se nullam in Christo causam invenire; et vere nulla esse potuit, nisi ex parte Christi ineffabilis charitas, et ex mea parte dete-

stabilis malitia: hae sunt quae Christum condemnarunt et crucifixerunt; et pergam adhuc malitiae meae insistere, et quasi de novo Christum ad crucem postulare!

XX.

Mittitur ad Herodem.

1. Cons. Pilatum id fecisse tum ne alienam jurisdictionem invaderet, tum maxime ut eo pacto se ab injusta ferenda sententia liberaret. Permisit vero id Deus tum ad majorem Christi Passionem, ut sub tribus judicibus plura pateretur pro nobis qui ubique peccaveramus; tum ad probandam Christi innocentiam, in quo tam varia tribunalia nullum crimen invenire potuerunt; tum ad probandam Judaeorum nequitiam, qui a nullo judice condemnatum crucifigi petierunt. Sed ego judicibus omnibus perversis te, bone Jesu, condemnavi, etc.

2. Cons.: licet Herodes eo conspecto valde gavisus fuerit, et vellet ab eo signum aliquod fieri, et interrogaret eum multis sermonibus, Christus tamen illum nec signo, nec verbo dignatus est: 1. Quia laetitia illa et cupiditas non oriebantur ex amore Christi, aut desiderio emendandae vitae, sed ex mera curiositate; quo affectu saepe concionem audimus, libros spirituales legimus, etc. 2. Ut disceremus in concionibus et conversatione nostra potius ad emendationem vitae affectus commovere, quam pascere intelligentiam hominum curiosorum.

3. Voluit ergo sapientia Patris hic pro stulto reputari; hinc nullum miraculum patrare vult, et silet quasi pro se nec verbulum dicere posset: unde

illusit illum Herodes, et veste alba induit, etc. Hic cons. 1. Quantum tu optes ut talenta tua hominibus innotescant, contra quam Christus fecerit. 2. Quanta prudentia et humanis consiliis enitaris a te excutere levem aliquam injuriam, vel infamiam, cum Christus nec verbulo maximas a se amoveat.

XXI.

Postponitur Barabbae.

1. Cons. Herodem, tametsi nihil reperisset in Christo dignum morte, non tamen liberasse Innocentem de manibus Judaeorum, sed, ad gratificandum praesidi, cognitionem causae illi detulisse. Ita fit ut hominibus omnes placere studeant, nullus Christo; neque tam cavent ut mala non fiant quam ne ipsis, quae fiunt, imputentur, de sola fama publica, non de conscientia, solliciti. Tu, e contrario, stude Deo bene placere; et, cum bene agere volueris, satage ne etiam alii male.

2. Pilatus, volens Christum liberare, cum sceleratissimo latrone, homicida et seditioso, ideoque plebi inviso, illum confert, petitque non a Sacerdotibus, quos sciebat odio et invidia excaecatos, sed a populo, quem vellet dimitti, etc. Verum ille, a Sacerdotibus persuasus, Barabbam petiit. O quanta haec Christo contumelia, non tantum cum tali nebulone comparari, sed etiam postponi, nempe agnum lupo, Justum et Innocentem homini sceleribus cooperto, sanguinario latroni Auctorem vitae! ut merito indignari non possis si quis tibi specie benefaciendi noceat, si cum aliqua persona viliori conieraris. Deinde etiam Christum Barab-

bae postponis, quoties judicium Superiorum postponis judicio tuo, quoties spiritum carni, virtutem vitio, honori mundi honorem Dei, etc.

3. Admiratus eam electionem Pilatus: *Quid ergo*, inquit, *faciam de Jesu?* Cons. hic quot laqueis se involvat homo qui non pure quaerit gloriam Dei, aut animae salutem, sed solos favores humanos, ut turbatus et nesciens quid agere debeat, consilium petat a turbulento populo, a tumultuantibus passionibus, quas scit nihil boni suasuras, sed conspiraturas potius in mortem et condemnationem. Pesti igitur illi te oppone, etc.

XXII.

Flagellatur.

1. Pilatus Christum innocentem addicit flagellationi, tum ut furiosae plebi satisfaceret, tum ut, si forte eo crudelissimo spectaculo plebs mitesceret, eum liberaret. Unde ait: *Correptum illum et flagellatum dimittam*; sin vero pergerent eum ad mortem postulare, praemissa secundum Romanorum leges flagellatione, ad crucifixionem esset dispositus. Abripitur ergo innocentissimus Agnellus ad lanienam, et vestibus exuitur coram procacissima multitudine; et, ne declinare ullum ictum possit, columnae alligatur: o quanta haec confusio tantae puritati! Sed quia tu vestem innocentiae toties impudenter abjecisti, vestibus suis pro te spoliari voluit.

2. Cons. quam acerba et crudelis fuerit haec flagellatio: 1. Ob instrumenta, quae triplicia usurpasse dicuntur, virgas spinosas, nervos bovinos, catenas ferreas. 2. Ob complexionem corporis de-

licatam, et ex priore sudore sanguineo, et totius noctis exagitatione valde afflictas vires. 3. Ob immanitatem tortorum, urgente jussione praesidis, incitantibus et pretio excitantibus Judaeis, et quia continuo recentes fatigatis succedebant. 4. Ob multitudinem plagarum, quae supra quinque millia fuisse dicuntur. Vide ergo quam *a planta pedis usque ad verticem capitis non sit in eo sanitas, sed livor et plaga tumens:* et cogita quanta fuerint tua vulnera, pro quibus curandis sic oportuit Deum Majestatis vulnerari. Detestare igitur illa, et voluntariis castigationibus expia, etc.

3. Contemplare quomodo, fatigatis tortoribus, dum a columna solvitur, concidat in terram, ibique in suo sacerrimo sanguine volvatur, et reptet ad vestes suas. Audi dicentem: se haec pro te passum, ut tandem desistas cum novis peccatis et imperfectionibus flagellare.

XXIII.

Spinis coronatur.

1. Nondum satiata militum crudelitas novum et inauditum supplicii genus excogitat, idque contumelia et doloribus plenum, nempe quia nos nullum finem facimus Deum offendendi, et novos quotidie modos excogitamus explendi cupiditates nostras. *Convocata* igitur *tota cohorte, eum iterum vestibus suis exuunt, et induunt chlamyde coccinea.* Perpende igitur novam verecundiam, novos dolores, et novam contumeliam: cum violentia detrahitur vestis, quae ejus vulneribus inhaerebat, adeo ut omnia sanguine recenti copiose manare coeperint; et quem Herodes veste alba

veluti fatuum irriserat, jam purpurea ridetur, ut regni affectator. Haec si recte perpendis, quae injuriae, qui contemptus poterunt esse tibi molesti?

2. *Plectentes coronam de spinis* acutissimis *imponunt capiti ejus*, nec leviter, sed vi imprimunt, ut spinae per frontem, per tempora, per cranium altissime infigerentur. *Vide* igitur *Regem tuum in diademate suo, quo coronavit eum mater sua* Synagoga, vel potius superbia tua, et judicii tui proprietas, quae his ipsis spinis gravius sacrum Christi caput fodicant. Et si Rex tuus ita coronatus est, perges adhuc quaerere mollia et delicata?

3. Cons. quinque alias insignes injurias: 1. Pro sceptro posuerunt *arundinem in dextra ejus.* 2. *Genuflexo adorabant, dicentes: Ave, Rex Judaeorum.* 3. *Expuerunt in eum.* 4. *Dabant ei alapas.* 5. *Arundine percutiebant caput ejus.* Horum omnium gravitatem et crudelitatem aestima, et exemplo Christi te excita ad quidvis tolerandum.

XXIV.

Ecce Homo.

1. Contemplare triste spectaculum. Producitur Deus tuus coccinea veste per ludibrium indutus, redimitus corona spinea, arundinem gestans in manu, toto corpore saucius, et continuum sanguinem destillans; eaque specie populo spectandus proponitur a Pilato: *Ecce Homo*, inquit, quasi diceret: *Ecce homo* non illustris pro imperio, sed plenus opprobrio, et Regi invidere jam parcite, quia tam desertum videtis, ut, nisi eum vobis demonstrarem, vix hominem crederetis. Tu vero

intuere in hominem hunc, et confitens eumdem esse Deum, Angelorum Dominum, et Redemptorem tuum, qui huc se abjecit propter te, detestare et deprecare ingratitudinem tuam, qui tantum beneficium tam parum agnoscis.

2. Cons. Judaeorum barbariem, qui adeo moti non sunt ea Christi specie, ut magis exarserint clamantes: *Crucifige, crucifige*; perge, perfice quod coepisti. Clamoribus addunt rationes: *Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Deinde: *Non habemus regem nisi Caesarem; et omnis qui se regem facit, contradicit Caesari.* Quid hic sensit Christus visa populi sui pertinacia, invidia, caecitate? Studiosi legis sunt, ut innocentem damnent; Caesari, quem cane pejus oderunt, se subjiciunt, ne mansuetum suum Regem agnoscant. Ita saepe nos passionibus potius nostris, quam suavi Christi jugo, subjecti esse volumus, etc. Confer etiam voces has, *Crucifige,* cum illo *Hosanna,* etc., quod paucis ante diebus concinebant, et vide quantum fidere possis vanis hominum plausibus et favoribus, etc.

XXV.

Damnatur ad Crucem.

1. Cons. Pilatum, postquam audivisset a Christo magis peccasse illos qui eum illi tradiderant, serio de Christo dimittendo cogitasse, ne se majori crimine obstringeret; sed postquam de honore suo apud Caesarem agi vidit (*si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*), rursus animo concidit: similis illis qui veritatem tuentur quam-

diu id vident sine suo dispendio fieri posse, alias vela vertunt; de quibus vere dici potest: *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor*; et quia *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt*, etc.: cum enim eum *timere* potius deberent *qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*, eo contempto timent umbras aliquas, nempe vanas et fatuas hominum indignationes. Tu dic: Oderit me Caesar, oderint me homines, dummodo Deus amet; neque, ut creaturae placeam, volo displicere Creatori.

2. Lavat publice Pilatus manus suas, dicens: *Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis.* Imo vero tu videris, Pilate, cujus est recte judicare, innocentem absolvere, maliguantes et calumniantes repellere; et quomodo innocens es, qui iisdem labiis mittis Jesum in crucem, quibus eum toties justum pronuntiasti et innocentem? Sed mea scelera absolvi non patiebantur, illa clamabant: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Imo vero, bone Jesu, sanguis tuus sit super me et super animam meam, cujus gratia effusus est, ut per illum a suis sordibus expurgetur.

3. Tandem Pilatus, victus clamore populi, ut Judaeis placeret, ne Caesari displiceret, contra justitiam et conscientiam suam, tradit Jesum ut crucifigatur. Vide quo animo id Christus excipiat, etc.

XXVI.

Bajulat Crucem.

1. Cons. hinc crudelitatem Judaeorum et ministrorum, qui Christo, jam tot vulneribus saucio et debilitato, ipsam crucem ferendam imponunt; et cogita idem nos facere quotiescumque laesam divinam bonitatem novis peccatis offendimus, et quoties ipsi crucem et mortificationem detrectamus: inde vero contemplare quo affectu Christus Dominus crucem complectatur, illique humeros supponat, etsi sciret se in itinere illius pondere deprimendum, uti de facto postea non semel accidit; ut discamus, etsi nobis munus aliquod ab obedientia impositum gravius et supra vires videatur, cum fiducia tamen amplecti, quia, manifestata et indicata nostra debilitate, si nihilominus injungitur, aut Deus vires sufficiet, aut si fortiter sub onere succumbimus, erit nobis gloria mori sub cruce.

2. Cons. reperiri neminem qui Christum juvet in cruce ferenda, nisi Simonem quemdam gentilem illac forte fortuna transeuntem; ita nimirum Christus clamat: *Qui sequitur me, tollat crucem suam et sequatur me;* neque ullus clamanti auscultat: non infideles, quia virtutem ejus non agnoscunt; non mundani et ambitiosi, quia dedecori habent; non sensuales, quia carni adversatur. Vide quo tu affectu sis erga illum. Deinde cogita saepe Superiores, quos Christi loco habemus, circumferre oculos sitne qui se offerat ad onus aliquod ferendum; nec quisquam est, qui ultro crucem Christi complectatur.

3. Vide quomodo Christus, impotens ulterius ambulare, sinat se a militibus crudeliter rapi, trahique usque ad montem Calvariae. Ita, si tibi sensualitas tua dicat te amplius non posse, sine te trahi ab obedientia, quocumque ipsa volet, etiam ad mortem usque, vim voluntati tuae faciens, etc.

XXVII.

De gestis in monte Calvario.

1. Cons. locum et tempus mortis Dominicae. Locus fuit mons: voluit enim in aperto et conspicuo loco mori qui pro omnibus moriebatur; et in infami supplicii loco, ad majorem ignominiam; et in monte quidem Calvariae; ad horrorem, quod ibi calvariae reorum congestae essent. Tempus eligit meridianum, ut confusio esset major clara die, et quidem festo solemnissimo Paschatis, quando innumerabilis multitudo conveniebat Jerosolymam. Nativitati vero suae elegit noctem mediam et locum ignobilem, ut gloriam suam occultaret. O quam sunt studia nostra aliena a studiis Dei et Ducis nostri! Si quid laudabile facimus, id volumus esse in ore et luce omnium; quae vero vituperio digna esse credimus, quanto conatu occultamus!

2. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.* Aliis praebebatur vinum ad solatium, sed eo etiam Christus carere voluit. Disce ferre palato ingrata, etsi quando loco solatii molesta inferantur. Deinde cogita *vinum felle mistum* esse opera tua bona quidem ex se, sed mala intentione, aliisque circumstantiis pravis infecta, quae

tu ordinarie Deo tuo propinas: illi, inquam, qui tibi vinum meracissimum, Corpus et Sanguinem suum et liquidissimas consolationes propinat.

3. Denuo exuitur vestibus in oculis tantae multitudinis, et petulantium militum et irrisorum, eamque ignominiam et verecundiam peccatis nostris debitam fert patienter, etsi foret cum summo dolore conjuncta, quod interior tunica carni vulneribus concisae adhaerescerent. Si tibi, postquam crucem tulisti, postquam multum laborasti; majora imponantur, inspice exemplum invicti tui Ducis.

XXVIII.

De Crucifixione.

1. Vide Deum tuum immaniter a tortoribus in crucem projectum, violenter super eum extendi, ut manus pedesque foraminibus prius factis accommodarentur; atque ubi perpenderis illum eo situ, elevatis in Coelum oculis, egisse Deo Patri gratias pro hora illa, et se in sacrificium nominatim pro te tuisque peccatis obtulisse, cogita an non merito debeas permittere et pati ut traharis et extendaris quodammodo ab obedientia etiam cum proprio incommodo, accommodando te arbitrio praecipientis.

2. Contemplare quanto cruciatu Deo tuo manus et pedes clavis trabealibus et obtusis perforent, cum partes illae sint tenerrimae et plenae nervis, quibus se contrahentibus opus fuit magna violentia ut manus altera et pedes ad facta foramina distraherentur; unde incredibilis convulsio membrorum omnium, ut ossa dinumerari possent, etc. Audi malleorum ictus, et si isti non te percellunt,

saltem cogita quantum cor tenerrimum sanctissimae Matris praesentis afflixerint. Deinde patere te configi cruce Christi, configi manus tuas per veram paupertatem, ut nihil arbitrio tuo acceptes aut dispenses, configi pedes tuos nihil appetendo inordinate, etc.

3. Vide crucem attolli in altum, et impetu demitti in foveam paratam, ita ut manus pedesque lacerentur, et totum corpus incredibili dolore convellatur. Hic ubi Deum tuum, velut in ara hostiam, in cathedra doctorem, inter Deum et homines mediatorem adoraveris, cons. cur istud genus mortis elegerit: nempe quia nullum fuit acerbius, neque ignominiosius. Unde amorem illius erga te aestima, et tandem incipe redamare, etc.

XXIX.

Prosecutio.

1. Cons.: *Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris et alterum a sinistris.* Perpende fecisse hoc Judaeos ad majorem ignominiam Christi Domini, et ne viderentur innocentem tali supplicio affecisse, sed et vulgus crederet eum etiam latronibus sceleratiorem. Christus autem id pati voluit: 1. Ex abundantia amoris erga te sui, nullum tormentorum et ignominiae genus recusando, ut tu etiam pro peccatis tuis aliquam poenam et confusionem libenter sufferas. 2. Ut, inter peccatores moriendo, ostenderet se omnium debita persolvere. Disce etiam hinc nullius, quantumvis abjecti et mali, conversationem fastidire.

2. Cons. titulum crucis, quem Marcus vocat titulum causae ejus inscriptum: Jesus. Haec prima

causa mortis, ut salvaret nos in sanguine suo. *Nazarenus:* id est, floridus, ut in arbore crucis positus produceret flores pulcherrimos et suavissimos virtutum, praesertim charitatis, patientiae, humilitatis et obedientiae, quos carpas imitando. *Rex:* haec causa erat ex mente *Judaeorum*, quod se regem fecisset; sed vere regnum ejus coeleste in cruce fundatum est, dum Dominus regnavit a ligno, ut, si velis conregnare, debeas simul crucifigi.

3. Cons. Judaeorum malitiam, qui, non ferentes hujus tituli splendorem, petierunt a Pilato ut corrigeretur: quod etiam mundani faciunt, qui, addicti voluptatibus hujus saeculi et carnis, ferre non possunt nomen Christi crucifixi, et crucem oderunt. Tu vero in cruce sola Domini tui gloriare, et si tibi aliquando aliud suadeat mundus, caro, aut daemon, dic cum Pilato: *Quod scripsi, scripsi;* quod vovi servabo: si enim ille quod semel scripsit mutare non vult, cur mutabis quod promisisti?

XXX.

Divisio vestium, et blasphemiae.

1. Cons. Christi paupertatem, qui, cum parculas vestes tantum ad nuditatem corporis tegendam necessarias habuisset, his etiam ipsis privari voluit: ut discas, si vere mori cum Christo in cruce volueris, ne necessaria quidem saltem cum immoderato affectu aut aliquo proprietatis possidere, quanto minus tot reculas superfluas, et quibus, si votum paupertatis in Religione non fecisses, forte caruisses in saeculo! Admirare denique Christi liberalitatem: corpus dederat, sanguinem

profuderat, nunc etiam vestes donat, nihil praeter clavos, spinas, sputa sibi reservans. Et tu libenter aliis cede meliora et commodiora, etc.

2. Ad dolores tantos et istam nuditatem accesserunt irrisiones, et horribiles blasphemiae, tum populi, tum militum, tum sacerdotum exprobrantium: 1. Impotentiam salvandi seipsum, qui alios salvaverat. 2. Praesumptam regis dignitatem. 3. Fiduciam vanam quam in Deo ponebat. 4. Filiationem Dei inanem, etc.: quae omnia fert patienter mansuetissimus Jesus, ut tu non lamenteris si quid contingat adversus honorem tuum fieri, vel dici, cum ab omni hominum genere Christus passus sit sese contemni et irrideri.

3. Accuratius perpende illud: *Descendat nunc de cruce, et credimus ei.* Etsi enim ille esset finis propter quem Christus de Coelo descenderat, noluit tamen eum aliter assequi quam moriendo in cruce. Itaque cogita quae res tibi suggerere possit ut descendas de cruce, et vocationem tuam deseras: 1. Aliqua difficultas obediendi, patiendi, et laborandi, cui respondendum: Et te ad hoc conscendisse crucem, ut Christum tuum imitareris in obedientia, patientia, labore, etc. 2. Praetextus majoris boni et quietis, etc. Sed Deus te ad hanc Religionem, ad hoc munus te vocavit, idque petit a te, etc.

XXXI.

De primo verbo Christi.

1. Cons. Christi immensam charitatem, perfecte implentis praeceptum suum: *Diligite inimicos vestros, et orate pro iis qui vos persequuntur.*

Tot tormentis cruciatus, tot convitiis et blasphemiis proscissus, non petit ignem de coelo, ut Elias, non maledicit ut Noë et Eliseus, sed orat pro inimicis: quantum dissimilis nostris affectibus, qui, vel minimo verbulo vel signo laesi, sic adversus proximum et fratrem excandescimus, ut, si aperte vindicare non possumus, occultis odiis et rancore diu illum prosequamur, quin et aculeatis verbis subinde latentem pestem prodamus, etc. Vide quid in posterum te facere oporteat.

2. Perpende singula verba: 1. *Pater*. Patrem, vocat, ut facilius emolliat ad misericordiam: quid enim neget Pater Filio, et sic oranti, ut etiam se offerat in hostiam pro satisfactione? deinde ut ostendat et inimicos se loco fratrum babere, quod communis Pater sit Deus. 2. *Dimitte illis*. Non exponit certum peccatum, quia vult omne illis dimitti; nec dicit crucifixoribus meis, ne ex indignitate provocet Patris iram, et quia volebat omnes peccatores complecti, qui omnes sunt crucifixores Christi. Itaque nec tu ab hac oratione exclusus es; unde spem concipe, quia pro te clamant vulnera, sanguis, sputa, dolores.

3. *Quia nesciunt quid faciunt*; Judex omnium hic non judicis aut accusatoris partes, sed defensoris agit; et cum tanta esset Judaeorum malitia, et ignorantia supina et crassa, tamen illam adducit pro aliqua excusatione: quanto ergo magis excusabit, si tu peccata tua detesteris? Disce hinc etiam excusare proximi defectus.

XXXII.

De secundo verbo Christi.

1. Cons., veram conversionem boni latronis: 1. Ex affectu charitatis, quae patet in justa reprehensione sui socii Christum blasphemantis: *Nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Qui jam animam agis, consorti poenarum insultas? 2. Quia agnoscit et confitetur peccatum suum: *Nos juste, nam digna factis recipimus.* 3. Quia caeteris omnibus blasphemantibus, fit praeco innocentiae Christi: *Hic vero nihil mali fecit.* 4. Quia credit Christum esse Deum, a quo proinde firmiter sperat gloriam; unde ait: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Disce ergo ab hoc latrone peccata aliorum cum sancto zelo humiliter castigare, tua sincere confiteri, famam tueri aliorum, etc.

2. Cons. latronis petitionem. Non petit a praesenti cruce et morte liberari, imo nec singularem aliquam gloriam, sed tantum ut meminerit sui: sciebat enim ille male esse non posse, cujus Deus meminisse dignaretur; et tam potentem et misericordem, ut plura largiturus esset quam ipse petere auderet. Cogita deinde subitam hanc mutationem provenisse a peculiari Dei misericordia et gratia, cui ille statim obsecutus est, ut nemo quantumvis sceleratus desperare debeat. Sed ne etiam praesumendo vivat liberius, et poenitentiam in mortem differat, oculos conjiciat in latronem alterum, et innumeros alios quibus ista gratia facta non est: qui enim poenitenti promisit veniam, peccanti non promisit poenitentiam.

3. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Cons. quam benignus, imo quam prodigus sit Deus in eos qui serio ad illum convertuntur: plusquam optent promittit, et quod promittit non differt: *Hodie*, etc. Quid non sperare poteris, si magnam vitae partem Dei servitio consecraveris?

XXXIII.

De tertio verbo Christi.

1. *Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus.* Stabat intrepida Virgo, non verita contumelias et irrisiones; et, licet plena dolore compassionis, et transverberata gladio de quo sanctus Simeon praedixerat, stabat tamen: quia in adversis erecto animo esse oportet, non pusillanimi, non querulo, exspectantes non aliunde quam a Deo solatium; et quidem juxta crucem stabat, quia, sicut ulmus vitem sustinet ne cadat, ita crux Christi et memoria Passionis ejus confortat animum in adversis, ut etiam pudeat nos non plura pati, cum videamus Ducem nostrum tanta tam innocenter pertulisse.

2. *Mulier, ecce filius tuus.* 1. *Mulierem* vocat, ne, audito Matris nomine, vehementius affligeretur cor Virginis, amore et dolore certantibus. 2. *Ecce filius tuus.* Hic perpende sollicitudinem et pietatem Christi qui, in summis cruciatibus, Matris curam suscipit, et ei de ministro providit. Deinde qualis haec sit commutatio: pro Jesu, Joannes offertur; pro Domino, servus; pro Magistro, discipulus; pro Deo, homo suggeritur. Denique cogita te quoque hoc verbo sanctissimae Matri commendatum, modo filiali affectu eamdem complectaris.

3. *Ecce Mater tua.* Joanni potius datur, quam alteri: 1. Quia virgo erat. 2. Quia solus ex reliquis Christo aderat patienti. 3. Quia stabat cum Maria. Ita castitas et affectus erga patientem Christum, et imitatio virtutum Marianarum, te reddent idoneum ut illa fiat et sit Mater tua, etc.

XXXIV.

De quarto verbo Christi.

1. *Tenebrae factae sunt super universam terram.* Cons. circumstantias admirabiles harum tenebrarum; quod sol eclipsetur in plenilunio; quod omnibus populis, et per universam terram, nempe ut Auctori naturae, natura condoleat, et omnibus significet quis pro omnibus patiatur. Deus etiam has tenebras accidere voluit, tum in terrorem crucifigentium et blasphemantium, tum in detestationem obcaecationis eorum qui tanto beneficio non moverentur, tum in signum earum tenebrarum exteriorum quibus castiganda erat insensibilitas et ingratitudo nostra: denique per hasce tenebras disponere se volebat Christus ad orandum, etc.

2. *Eloi*, etc. *Deus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* 1. Derelictus erat in poenis et doloribus gravissimis qui protrahebantur. 2. Derelictus erat ab omni solatio Divinitatis in parte animae inferiore. 3. Videbat se desertum a Discipulis et sua gente, et a potiori parte hominum deserendum, ut merito a Deo etiam desertus videretur. Nihilominus Deum suum vocat, ut in desolationibus disceres non desperare.

3. *Eliam vocat iste Sine videamus*, etc. Ita a malevolis omnia in opprobrium Dei convertuntur. Tu verba et res sacras in honore habe, etc.

XXXV.

De quinto verbo Christi.

1. *Sitio.* Cons. sitim corporalem vere in Christo fuisse maximam: nihil enim a praecedente vespera biberat, et interea per tot loca cum tanto impetu pertractus erat, effuso etiam toto pene sanguine; et tamen potum non urget, sed tantum necessitatem suam indicat, ut hoc exemplo et in corporalibus necessitatibus patiens sis et quae desunt non artificiose aut importune a Superioribus extorqueas.

2. Cons. triplicem aliam sitim Christi Domini. 1. Erat obediendi Deo Patri; ut enim consummaretur Scriptura, dixit: *Sitio.* 2. Sitis erat patiendi plura pro te. 3. Salutis tuae, et totius generis humani. Hanc etiam triplicem sitim in te excita, ut sitim Servatoris tui reficias.

3. *Illi spongiam aceto plenam hyssopo circumponentes obtulerunt* in arundine, etc. Ita modicum acetum cum amara hyssopo refrigerium est sitientis Dei tui, ut meliora et lautiora non deberi tuis necessitatibus existimes. Denique haec praxis peccatorum est, qui cor ei praebent inane ut spongiam amaram a vitiis, ut hyssopum, in arundine vanitatis et inconstantiae, etc.

XXXVI.

De sexto verbo Christi.

1. Cum gustasset acetum, dixit: *Consummatum est.* Nimirum consummati erat omnes labores, omnes dolores et poenae quas eum Pater aeternus pro salute nostra pati voluerat. Dulce verbum, eoque dulcius quo tristiora et acerbiora processerant! Idque tibi in tuis afflictionibus solatio sit quod aliquando dicere poteris: *Consummatum est, et momentaneum illud tribulationis,* etc., *aeternum gloriae pondus operabitur* in te.

2. Consummatus finis ad quem missus erat a Patre aeterno: satisfecerat enim pro peccatis nostris, caput serpentis attriverat, destruxerat mortem, spoliaverat infernum, Coelum reserarat, novam legem condiderat, auxerat novis sacramentis et sacrificio, vitae perfectae norm · tradiderat, suoque exemplo firmaverat. Utinam in te finis ille consummetur!

3. Consummata erant omnia quae de eo Scripturae praedixerunt; ad hoc enim dixerat: *Sitio.* Tu vide ut consummes omnia quae tibi a Deo et Superioribus tuis praescribuntur, ut in morte vere dicere possis: *Consummavi, reposita est mihi corona,* etc.

XXXVII.

De septimo verbo Christi.

1. Verisimile est Christum Dominum Psalmum 30um tacite recitasse usque ad hunc versum, quando coepit magna voce clamare, tum ut ostenderet na-

turalem sensum separationis animae a corpore, tum ut declararet sibi adhuc superesse vires ad vivendum, ideoque non tolli animam invito, sed se sponte ponere illam, idque pro te ingrato.

2. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Pater*, in fiduciae et affectus filialis signum, qui in morte necessarius est, quando velut a Patre aeternam haereditatem exspectamus. *In manus tuas:* ibi sola et summa securitas est, in quibus nos nostraque omnia collocanda, ut pro arbitrio suo de iis paterne disponat. *Commendo spiritum meum:* non corpus, non honores, non divitias, etc., sed spiritum suum commendat, cui cum bene, caeteris male esse non potest! Hinc discamus non tantum mori, sed cujus etiam rei potissimum rationem habere debeamus.

3. *Inclinato capite, tradidit spiritum.* Inclinat caput in signum reverentiae, obedientiae, humilitatis, et praegravatum pondere meorum peccatorum, quae ideo detestabor.

XXXVIII.

De prodigiis post mortem Christi.

1. *Velum templi scissum est.* Sciderat Caiphas vestimenta sua, quando Christus se Dei Filium dixerat. Scidit Deus Pater velum, quando populus innocentem Dei Filium agnoscere noluit. Ejusdem sceleris indignitate utinam scindatur cor meum! Deinde velum scissum est, quia aperiebantur mysteria regni Dei, discussis umbris et figuris: quae utinam intelligas!

2. *Terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt.* Vide te petris et terra in-

sensibiliorem et duriorem, dum tam parum doloribus et morte Dei tui moveris. Tandem tremat cor tuum terrenum a sancto Dei timore, contritione frangatur cor tuum lapideum, aperiatur sepulcrum malorum habituum et consuetudinum, ut in novitatem vitae resurgas.

3. His visis, *Centurio* et alii *revertebantur percutientes pectora sua, et dicebant: Vere Filius Dei erat iste.* Hic fructus Passionis Christi: 1. Reverti a via sua pessima. 2. Percutere pectus et detestari scelera. 3. Agnitio et confessio Dei et bonitatis illius, et propagatio honoris ejusdem.

XXXIX.

De lateris apertione.

1. *Judaei rogaverunt Pilatum, ut frangerentur* crucifixorum *crura, et tollerentur.* Nondum saturi erant Pharisaei tormentis Christi, sed adjicere adhuc hanc ignominiam et dolorem volebant: petebant autem tolli, non ex commiseratione, sed quia videbant populum ultimis prodigiis commotum. Ita peccatores, dum peccatis peccata aggerunt, virtutibus aliorum invidi, eos sibi quam simillimos desiderant.

2. *Unus militum lancea latus ejus aperuit,* tum ludibrii causa, tum explorandi an vere mortuus esset. Christus autem id pati voluit, tum in remissionem peccatorum nostrorum, quae, sicut ex corde nostro exeunt, ita cor Christi transfigunt; tum ad ostendendam suam charitatem, corde ad nos recipiendos et defendendos aperto. In hoc foramine securus eris.

3. *Et continuo exivit sanguis et aqua.* Supererant guttulae aliquae sanguinis, eas etiam effundi sic pro te voluit, ut tanto copiosior esset redemptio tua; et sanguine deficiente effudit aquam, ut disceres, si tibi non conceditur ut pro ejus amore sanguinem tuum fundas, saltem illi respondere lacrymis amoris et contritionis.

XL.

Depositio de Cruce.

1. Pendebat exanime corpus Christi, et sanctissima Mater timebat ne aliqua adhuc mortuo a militibus irreverentia fieret, quando Deus hominem potentem et discipulum Christi *(sed occultum propter metum Judaeorum,* animavit, ut *audacter introiret ad Pilatum, et peteret corpus Jesu;* quod fecit, et obtinuit. Talem curam gerit Deus humilium et afflictorum.

2. *Joseph mercatur sindonem mundam, et Nicodemus,* socius illius, *myrrhae et aloës libras quasi centum;* ut discas; qui se Christo addicit, illi studendum esse puritati et mortificationi, aliisque bonis operibus; idque non tepide, neque parce, sed ferventer et liberaliter, ne, quod pretiosa sunt opera, sint pauca; neque, quod multa sunt, sint tepida.

3. Deponunt Christum de cruce cum summa reverentia, compassione, et lacrymis; depositum excipit sinu suo SS. Mater, ut dicere potuerit: *Fasciculus myrrhae dilectus meus, inter ubera mea commorabitur.* Quinam affectus praeterea fuerint S. Joannis, B. Magdalenae et reliquarum piarum

mulierum contemplari potes, et aestimare ex amore quo illum prosequebantur. Disce etiam tamdiu manere in cruce, donec deponaris, etc.

XLI.

De sepultura Christi.

1. Ungitur corpus Christi mortuum myrrha et aloë, rebus amaris; non enim, etsi mortuus sis et bene mortificatus, continuo gratiosus eris apud Deum et homines, et abundabis solatiis divinis et humanis, sed potius novis oneribus et mortificationibus premeris; quibus enim plura imponuntur quam talibus qui non obluctantur, sed ferendum est cum Christo et pro Christo.

2. Unctus et involutus sindone defertur ad sepulcrum; comitatur dolens Mater cum caeteris mulieribus et Discipulo, comitantur et Angeli pacis amare flentes. Efferaris et tu e rebus et solatiis mundanis per mortificationem solidam et continuam, et sepeliaris in corde Christi et Dei tui, juxta illud: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

3. Cons. circumstantias: quod *novum, in quo nemo positum fuerat;* quod *excisum in petra,* quod *advoluto lapide clausum,* quod *munitum sigillo et custodibus;* easque crede a Christo desiderari a te in sacro et communione. Cor tuum sit novum, saltem renovatum, exclusis peccatis, et aliis rebus distrahentibus; sit constans in illius servitio, sit firmatum in solidis propositis, timore Dei, et sensuum custodia.

XLII.

De sollicitudine Beatae Virginis.

1. Peracta sepultura, Beata Virgo recepit se in domum suam, deducta a duobus illis viris nobilibus. In transitu per montem Calvariae, primo Crucem adoravit; cavit etiam ne a se, vel ab alio, vestigia aliqua divini cruoris calcarentur. Gratias deinde viris egit, et de mercede a Filio accipienda securos esse jussit.

2. Transegit eam solitudinem, partim sola, contemplando Filii sui dolores et mortem, nunc per sepulcrum, nunc per limbum animo discurrens; partim cum Joanne, de iisdem rebus disserens, et ab illo audiens quae per coenam dicta factaque fuerant. Credibile est etiam a Petro et caeteris Apostolis visitatam, quos illa fide resurrectionis animavit.

3. Magdalena interea, cum caeteris mulieribus, non contenta ea unctione centum librarum, nova aromata coëmit, ut post festum iterum illum ungerent: defectum fidei pia affectio excusare potest. Tu, post communionem, quiete expende beneficii magnitudinem, ac deinde ad bona opera te accinge, sollicitus etiam quomodo iterum venientem excipias, etc.

XLIII.

Qui patiatur?

1. Cons. eum qui patitur esse 1. Deum, Creatorem et Dominum universorum, ab aeterno in se felicissimum, nullius egentem, infinite justum, misericordem, optimum. 2. Esse eum qui pro nobis homo fieri dignatus est, quod satis non fuit, nisi pro nobis etiam pateretur et moreretur. 3. Esse eum qui pertransibat Judaeam sanando et docendo, etc.; atque haec merces est istis repensa beneficiis! 4. Esse illum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, qui, cum suae dignitati parem hostiam non reperiret, seipsum obtulit sacrificium. 5. Esse sanctissimae Matris sanctissimum Filium, ex tenerrima tenerrimum, ut eo sensus tormentorum fuerit acutior. 6. Denique esse *Agnum Dei, qui tollit peccata mundi.*

2. Erumpe in affectus admirando Dei bonitatem, patientiam, amorem. Redama quantum potes, et offer te ad quaevis adversa. Gratias etiam age Deo Patri, *qui sic te dilexit, ut Filium suum* ad-ista *daret.*

3. Cons., quando tibi aliquid patiendum est, quis tu sis, quam nocens, quam bene meritus?

XLIV.

Pro quibus ?

1. Christus non patitur pro se, nec pro Angelis: pro se non indigebat, pro Angelis non voluit; sed pro hominibus, pro qualibus creaturis Creator! *Quid est homo, quod* ita *memor es ejus?* dumtaxat aliqua imago tui, ita defoedata, ut agnosci vix possit: *cum* enim *in honore esset, non intellexit,* etc. Patitur pro servis Dominus, pro vili mancipio ad perpetuos carceres damnato summi Regis Filius, pro hostibus suis patitur: hostes enim Dei sunt peccatores; pro ingratis, noverat enim quam pauci digne tanti beneficii magnitudine moverentur; patitur denique pro te nominatim.

2. Admirare excessum illum amoris, gratias habe, et Deo Patri oblationem Filii repraesenta pro peccatis tuis. Concipe spem et fiduciam eum tibi conanti non defuturum, qui pro te, antequam esses, tam sollicitus fuit.

3. Cons. pro quo tu patiaris: non tam pro Deo, hic enim non eget istis afflictionibus nostris, quam propter Deum, si nimirum ad ejus gloriam et imitationem patiaris; idque pro te, cum merces patientiae tuae tota futura sit tua.

XLV.

A quibus ?

1. Patitur: 1. A Discipulis, quorum unus illum prodit, alter negat, reliqui deserunt. 2. A Principibus Sacerdotum, omni modo satagentibus ut ad mortem condemnaretur. 3. A gente sua, cui non

o im tantum peculiaria beneficia contulerat, sed singulariter ad ejus salutem venerat, hanc docuerat, hanc sanaverat, ut merito expostulare potuerit: *Populo meus, quid feci tibi?* 4. A Pilato et Herode gentilibus. 5. A militibus sponte sua ferocibus, et prece aut pretio insuper accensis. 6. A praesentia sanctissimae Matris. 7. Etiam a Deo Patre derelinquitur. 8. Denique a te et peccatis tuis: haec alapam, haec flagella, haec clavos, haec lanceam inflixerunt.

2. Postquam Judaeorum ingratitudinem, militum crudelitatem, etc., detestatus es, descende in te, et quantum potes ingratitudinem et peccata tua detestare, quae particularem Deo tuo dolorem inflixerunt.

3. Cons., quando tu pateris, a quibus patiaris? a Deo aut a Dei instrumentis, quibus ille utitur ut te castiget, sive homines sint, sive aliae creaturae, sive boni, sive mali. Patienter ergo feras, maxime cum plura forte alii a te patiantur, etc.

XLVI.

Quid?

1. Cons. quid Christus patiatur, aut potius quid non patiatur. 1. In bonis externis, patitur ingentem infamiam; instar latronis capitur, accusatur ut blasphemus, ut malefactor, ut seductor, ut Caesari rebellis; illuditur ut stultus, ut rex fictitius; homicidae postponitur; tandem ut princeps latronum inter latrones crucifigitur. 2. In corpore: *A planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas;* caput spinis coronatum, capilli evulsi, genae verberibus lividae, tota facies sputis foedata,

os sitiens felle potatum, manus et pedes clavis, pectus lancea confixum, humeri cruce oppressi, totum corpus flagris lacerum. 3. In anima: tristitia, metus, agonia.

2. Ex his elice vehementem affectum compassionis; nam ne perditissimum quidem hominem, imo ne brutam quidem bestiam sine commiseratione videre posses talia sustinentem.

3. Cons. quid tu patiaris, aut quid pati detrectes: 1. Levem aliquem contemptum, rerum tuarum censuram. 2. Verbulum aliquod, aliquam poenitentiolam, aliquam mortificationem, etc. Et confer has reculas cum iis quas Deus tuus pro te passus est, etc.

XLVII.

Cur?

1. Patitur Christus ad gloriam Dei Patris, ut satisfaciat pro peccatis hominum, ut ejus decretum exequatur; deinde, ut ostenderet suum amorem erga genus humanum: *Majorem enim charitatem nemo habet*, etc.; denique propter nos et propter nostram salutem, crucifixus pro nobis, mortuus, et sepultus est, liberando nos a peccatis: *Propter scelus* enim *populi percussit eum Deus* Pater; merendo nobis gloriam aeternam: *Venit* enim *in mundum ut vitam habeamus;* merendo nobis omnia auxilia gratiae ad gloriam consequendam necessaria, dando nobis exemplum patiendi, et aliarum virtutum, quae n ipsius Passione emicuerunt.

2. Age igitur: 1. Gratias Deo tuo. 2. Concipe certam obtinendi omnia ad salutem necessaria fi-

duciam. 3. Repraesenta Deo Patri sanguinem et mortem Filii ejus in remissionem peccatorum: *Respice, quaesumus*, etc.

3. Cur tu pateris? 1. Quia mereris. 2. Quia crucem evitare non potes. 3. Ex communi apprehensione quod aliquid tolerandum, quod poenitentiae faciendae sint. Utinam!... 4. Ad gloriam Dei, ut Christo similis efficiaris, ut pro peccatis tuis satisfacias, ut gratiam merearis.

XLVIII.

Quomodo?

1. Christus passus est respectu Patris cum summa obedientia et resignatione. Hinc: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, etc. Deinde respectu nostri, summa charitate: qui enim unica guttula sanguinis mille mundos redimere potuisset, ex amore *mensuram confertam et coagitatam* dare voluit, adeo *aquae multae* Passionis *non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina* sanguinis *obruere illam*. Denique respectu sui, ineffabili humilitate et patientia: hinc calumnias et opprobria sustinuit, nil de se nec pro se locutus, nisi cum honor Patris agebatur. Vere *tanquam ovis ad occisionem ductus, coram tondente se obmutuit*.

2. Resigna ergo te ad hauriendum calicem quemcumque Deus tibi propinaverit, idque liberaliter, nunquam existimando te fecisse satis pro eo qui nunquam se dixit satis pro te passum. Age etiam illi gratias pro isto excessu affectus, et tuam illiberalitatem detestare.

3. Quomodo tu patiaris? 1. Illibenter. 2. Cum morositate, et interna murmuratione. 3. Cum aperta

impatientia et querelis. 4. Cum anxietate et sollicitudine, ut statim a cruce libereris. 5. Denique superbe, te immeritum reputando.

REPETITIO ALTERA SECUNDUM STATIONES.

—

XLIX.

Statio in horto.

1. *Coepit Jesus pavere, taedere, tristari, et moestus esse.* Pavebat tormenta, quae vivacissime illi repraesentabantur. Taedebat ingratitudinis tuae, quam praevidebat. Tristabatur ob ignominiosissimam mortem, sed multo magis moestus erat ob peccatorum turpitudinem, et quod intelligeret pretium illud sanguinis, quod mille salvandis mundis sufficeret, tam paucis fore saluti, imo multis scandalo et damnationi majori. 1. Disce compati Domino tuo, et his maximè diebus ab ineptis jocis, risu, et solutiore animo abstinere. 2. Animi angustias, et ariditates patienter tolera. 3. Disce non semper esse reprehendendam tristitiam, modo te non retardet a Dei servitio.

2. Cons. quid Christus in ea tristitia fecerit. *Divisus est a Discipulis,* imo repugnante quasi natura *avulsus est ab iis* a quibus solatium aliquod sperare poterat. *Procidit in terram. Oravit,* et quidem *ter eumdem sermonem: Pater, si possibile est,* etc. Tandem *factus in agonia,* quae illi sudorem sanguineum expressit, *prolixius orabat.* 1. Disce in moerore non quaerere solatia a rebus

creatis, sed memor ésto Dei, et delectaberis, ut de se David testatur. 2. Disce orationem debere esse solitariam, humilem cum resignatione, perseverantem, neque fastidio deserendam, sed intendendam potius et protrahendam.

3. Cons. quid interea Discipuli faciant: alii dormiunt, nec possunt *una hora vigilare* cum Christo; alius, id est Judas, contra Christum vigilat, et agmen ducit ad illum capiendum, etc. Quid tu? an huic adnumerari voles per peccatum? an illis per teporem?

L.

Statio apud Annam.

Vide quomodo Deus tuus non tam vinculis Judaeorum quam peccatorum tuorum ligetur, stringatur, raptetur. Vincula, ô bone Jesu, detestanda, nisi amor erga me tuus illa tibi injecisset: ex parte tua vincula charitatis, ex parte mea vincula doloris. Doleo enim et detestor peccata mea; et quia tu pro me ligari sic voluisti, ligabor ego pro te triplici funiculo votorum meorum, neque laxari illum patiar. Laxaretur autem si obedientia non foret prompta, castitas non cauta, paupertas non egens. (Caetera vide *Medit.* XIII hujus Partis).

LI.

Statio apud Caipham.

1. De negatione Petri. (Vide *Medit.* XIV).

2. De interrogatione Christi et ejusdem accusatione. (Vide *Medit.* XV).

3. De illusionibus. (Vide *Medit.* XVI).

LII

Statio apud Herodem.

(Vide *Medit.* XX).

In 1° puncto, praeterea considera Pilatum, auditis accusationibus frivolis, etsi Christum adeo innocentem judicaret ut etiam publice profiteretur se nullam in eo causam invenire, non habuisse tamen tantum animi, aut bonae voluntatis, ut eum absolveret, sed judicium alio derivat ad Herodem, faceret ipse quod videretur. Ita non existimemus satis nos fecisse si ipsi non peccemus, nisi etiam caveamus ne aliis demus occasionem peccandi, et tollamus scandalum omne quod illis posset esse in ruinam.

In 2° adde: Herodi de Christi praesentia gaudenti similes, esse politicos nostros, qui eatenus Christo, Fidei et Religiosis afficiantur, quatenus per ea ad aliquam famam, ad honores, ad alias praetentiones suas mundanas melius grassari possunt. Similis et tu, qui Deo tuo servis potius solatii alicujus aut mercedis gratia, quam ex puro illius amore. Sed videant isti, et tu time, ne fine tuo destituaris, uti suo destitutus est Herodes, quem nec verbulo quidem Christus dignatus est.

In 3°: *Sprevit illum Herodes*, etc. Ita nimirum solent, dum fine suo politici destituuntur, vertere affectum in indignationem, et eos ludibrio habere, quos ante specie tenus honorabant. Deinde adverte quantum momenti sit in Principe, ejusque exemplo: quia enim illum sprevit Herodes, sprevit etiam exercitus ejus, et aula universa.

LIII.

Statio ad Pilatum.

1. Christus postpositus Barabbae flagellatur.
2. Spinis coronatur, et ea specie populo ostenditur: *Ecce Homo.*
3. Tandem ad mortem damnatur. (De quibus vide *Medit.* XXI, XXII, XXIII, XXIV),

LIV.

Statio in monte Calvariae.

1. Bajulat crucem suam.
2. Crucifigitur.
3. Prolatis septem verbis, moritur. (De quibus vide *Med.* XXVI et sequentes; ex quibus excipe quae magis affectui tuo serviunt).

VIA UNITIVA

VIAE UNITIVAE

PRIMA PARS

DE RESURRECTIONE CHRISTI ET CAETERIS

I.

De descensu Christi ad Limbum.

1. Limbus erat carcer tenebrosus in visceribus terrae, in quo detinebantur omnes animae justae sine poena sensus quidem, sed cum ea damni maxima quod a conspectu Dei arcerentur, unde Redemptorem exspectabant Christum, et votis suis provocabant tanto ardentius, quod vicinam esse Redemptionem a S. Joanne Baptista et S. Josepho didicissent. Cons. an non corpus tuum variis ignorantiae ac passionum tenebris caliginosum possit animae tuae limbus nominari? An vero, dum cognoscit Redemptorem suum in Coelis exspectare, merito cupiat dissolvi, et esse cum Christo.

2. Huc anima Christi unita divinitati gloriose descendit maximo Angelorum comitatu, ut eos

liberaret; in quo nota ejus charitatem et humilitatem; etsi enim non descendendo liberare potuisset, maluit tamen et se demittere in solatium eorum, et exemplum tuum, ut nihil pro salute proximi et solatio detrectes.

3. Cons. quale gaudium fuerit Sanctorum, quae gratulatio, quae gratiarum actio, etc.

II.

De Resurrectione Christi.

1. Christus triginta annis vitae, octodecim horis Passionis, et quadraginta sepulturae passus, absconditus et mortificatus, inchoat a sua resurrectione gloriosam aeternitatem: ut discas, propositis tibi ob oculos aeternis praemiis, judicare faciles et momentaneas omnes hujus vitae difficultates, easque generose perferre, maxime cum videas multo majores ab avaris et ambitiosis sustineri pro re vana, incerta et momentanea.

2. Vide Christum comitantibus sanctis Patribus inire sepulcrum, et unire corpori sanctissimam animam, momentoque reddi corpus sanissimum et integerrimum, nulla alia facta medicina quam ingressu gloriosae animae. Ita, si imperfectiones omnes tuas tollere vis, concipe propositum aliquod generosum volendi placere Deo in omnibus; id enim momento perficiet omnia, et celerrime te Deo uniet.

3. Cons. quatuor dotes corporis gloriosi, easque tibi applica: 1. Agilitas, ut ad omnem nutum Dei et Superiorum sis promptissimus. 2. Subtilitas, ut, nihil intendendo aliud quam facere Dei voluntatem et beneplacitum, aeque transeas illaesus per

studia, per conversationem cum proximo, etc., atque per orationem. 3. Claritas, ut aliis praebeas bonum exemplum ad augendam Dei gloriam. 4. Impassibilitas, ut libenter et sine taedio amplectaris omnis generis mortificationes, dolores, humilitates, etc., ut pax interna non violetur.

III.

Apparet sanctissimae Matri.

1. Voluit Christus manifestari resurrectionem suam hominibus, tum ad fidem, tum ad spem confirmandam; idque tribus modis: 1. Per apparitionem Sanctorum, qui cum illo resurrexerant. 2. Per Angelos. 3. Per seipsum, qua ratione etiam solet mysteria sua revelare tum per viros sanctos, tum per angelicas illustrationes, tum immediate loquendo ad cor nostrum, ut modis omnibus nos alliciat ad sui amorem. Deinde, etsi corpori illius jam glorioso Coelum deberetur, per multos tamen dies adhuc in mundo haerere voluit, ad solatium et salutem hominum: ita finis vitae tuae non sit alius, quam ut quamplurimos adhuc Deo lucreris.

2. Christus jam relicturus homines apparet sanctissimae Matri suae in altissima contemplatione Passionis et expectatione Resurrectionis defixae, et apparet in comitatu SS. Patrum et innumerabili exercitu Angelorum, eamque inter dulcissimos amplexus consolatur de praeteritis toleratis in infantia sua, vita et passione. O quale hic gaudium! An non merito dicere poterit: *Secundum multitudinem dolorum, consolationes tuae laetificaverunt animam meam?* Utinam et tu te aliquando eidem Matri tuae, quae tibi semper in

necessitatibus tuis adfuit, ostendere possis in novitate vitae ambulantem!

3. Non est dubium quin SS. Patres eidem Matri gratias egerint, gratulatique sint cum Angelis concinentibus: *Regina Coeli, laetare, Alleluja*, etc., praecipuae majores illius et agnati, ut Anna, Joachim, Josephus, S. Joannes Baptista, etc., dicentes: *Tu gloria Jerusalem, tu*, etc.

IV.

Annuntiatur ab Angelis.

1. Mulieres emptis aromatibus iverunt, cum adhuc tenebrae essent, ut ungerent corpus Jesu; ubi: 1. Notanda est illarum obedientia, quae sabbato quieverunt a tam pio et desiderato opere, ut scias aliquando Deum propter Deum relinquendum esse, si id aut obedientia Superiorum aut charitas proximi requirat. 2. Diligentia, quae summo mane id fecerunt, alioquin natura pavidus sexus. 3. Perseverantia in rebus bene coeptis, etsi difficultates occurrerent, nempe amanti et confidenti in Deum nihil difficile.

2. Fructus his virtutibus respondens fuit imprimis: quod Angelus eis removerit lapidem, de quo sollicitae erant; nam qui serio ad Deum anhelat, videbit tolli impedimenta omnia malorum habituum et consuetudinum, etc. Deinde Angelorum aspectu recreatae fuerunt; talis enim anima internis deliciis fruitur. Denique Resurrectionis mysterium ab Angelis didicerunt: ita plurima nonnunquam arcana talibus solent revelari.

3. *Quid quaeritis viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit.* Quaerunt viventem cum mor-

tuis, qui partim Deo, partim mundo serviunt; qui libenter quidem Deo totos se consecrarent, sed amorem rerum temporalium, aliaque impedimenta non amoliuntur; sed haerent adhuc in sepulcro suarum pravarum consuetudinum, etc.

V.

Apparet Magdalenae.

1. Caeteris abeuntibus, illa, quae prae caeteris amabat, haeret ad sepulcrum et haeret *plorans*, *quia tulerunt*, inquit, *Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum*; et licet aliqua in ea videatur fuisse imperfectio, quod Angelis asserentibus Christum resurrexisse non crediderit, adscribi tamen id potest amoris magnitudini, qui sic in Christum erat defixus, ut ad nihil aliud attenderet, etc. Et optime docuit merito tunc deplorandum, quando vel per peccatum Deum amisimus, vel quando ipse praesentiae suae dulcedinem subtraxit, quod fieri etiam in justis solet.

2. Videns illa Christum in specie hortulani, alloquitur: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi*, etc., *et ego eum tollam*. Nota hic proprietates animae amantis: 1. Quod multa dicat faciatque quae carnalibus insipientia videntur: uti David ante arcam saltans, haec hortulanum Dominum vocans. 2. Quod existimet alios eodem affectos modo, hinc illa non explicat quem quaerat, sed: *Si tu sustulisti eum*, inquit, etc. 3. Quod majora viribus aggrediatur, omnia potens in eo qui eam confortat: *Ego tollam*, etc.

3. Verbo unico se Christus manifestat, quod solet ubi affectum satis probavit, etc.

VI.

Apparet Mulieribus.

1. Mulieribus redeuntibus et loquentibus de Christo, ipse se ostendit, et eas avere jubet. Hic cons. quomodo Deus diu non differat consolari suos, modo ingens in iis desiderium perfectionis advertat: neque imperfectionibus illorum detinetur, modo intentiones sint sanctae, et ex amore profectae, ut vel hinc maximam amandi tam boni Dei occasionem habeamus, et in eum filialiter sperandi.

2. *Tenuerunt pedes ejus et adoraverunt eum*, maxima scilicet reverentia, sed et solatio ineffabili. Ungebantur enim jam oleo laetitiae ab eo quem uncturae venerant; idemque sperare poteris, si disposueris tres tuas potentias ad unctionem Christi, memoriam sanctis cogitationibus, intellectum piis meditationibus, et voluntatem accensis affectibus, etc.

3. Jubet Christus nuntiari fratribus suis, ut eant in Galilaeam, et eum ibi videant. Locum quietum et a tumultu semotum desiderat, ut se iis communicet; etsi enim id aliquando faciat inter actionum distractiones, plenius tamen in secessu, etc.

VII.

Apparet Petro.

1. Relatione facta a mulieribus, visa sunt Apostolis sicut deliramenta, tam difficulter quis a propriis apprehensionibus avellitur. Tu duo extrema hic fuge, ne nimis facilis sis ad credendum, nec

nimis difficilis; sed prudenter omnia examina, etiam quae a simplicioribus dicuntur.

2. Petrus et Joannes experiri veritatem voluerunt, idcirco, cucurrerunt ambo ad sepulcrum; et licet Joannes praecucurrerit, prior tamen Petrus ingressus est: hac in re repraesentat fidem aut vitam activam, sicut Joannes charitatem aut vitam contemplativam. Sed linteamina tantum, non Angelos repererunt; neque, ad fidem illis faciendam, plura erant necessaria.

3. Revertenti Petro apparet Christus, non exprobrans illi peccatum suum, sed suaviter consolans; tamen quam humiliter se Petrus ad ejus pedes projecerit, considera. Tu etiam vide Dei bonitatem, quae saepe conversis peccatoribus majores favores ostendit quam aliis, ut hic Petro, et ante Magdalenae, etc.

VIII

Apparet euntibus in Emmaus.

1. Cons. cur Christus iis sese ostenderit, nimirum ut tanquam bonus Pastor oves errantes et dubitantes corrigeret, deinde ut afflictis solatium afferret, denique quia de ipso loquebantur: *Ubi* enim *duo vel tres congregati fuerint in nomine meo*, inquit, *ibi sum in medio eorum*. Hac igitur praxi colloquiorum spiritualium conare illum tibi amiliarem reddere.

2. Cons. modum quo Christus se iis insinuavit: 1. Blande interrogando illos: *Qui sunt hi sermones?* etc. 2. Deinde, audita eorum diffidentia et incredulitate, zelose reprehendendo: *O stulti et tardi corde ad credendum!* 3. Docendo et in-

struendo illos, quod *oportuerit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam:* idque tam efficaciter, ut postea fassi sint arsisse cor suum, etc. Utinam te intus ita alloqui dignetur, ut tu quoque alios accendere possis in ejus amorem!

3. *Coëgerunt illum* ut maneret cum illis, *quoniam advesperascebat, et inclinata erat dies.* Quotidie apud nos magis advesperascit, quia quotidie proprius ad mortem accedimus. Cogendus ergo Deus est (nam cogi vult desideriis et orationibus) ut nobiscum maneat: cognoscetur autem in fractione panis, in frequenti et ferventi usu Sacramentorum.

IX.

Apparet congregatis Discipulis.

1. *Sero et cum fores essent clausae, venit Jesus, et stetit in medio Discipulorum. Sero:* distulerat enim ob incredulitatem eorum donec disponerentur, et ut in credentibus cresceret desiderium, et ut tanto major foret laetitia. *Clausis* vero januis ingressus est, ut ostenderet potentiam suam et dotem corporis gloriosi, et ut disceret Deum libentius ingredi ad eos qui fores cordis, id est sensus, habent clausos et bene custoditos, stetit in medio eorum velut Dux, Pastor, Magister, et Mediator.

2. *Pax vobis: ego sum, nolite timere.* Christo, Deo pacis, nihil gratius est pace. Hanc per Angelos in nativitate sua annuntiari voluit, hanc vivens Apostolos docuit: *In quamcumque domum intraveritis, dicite: Pax huic domui.* Hanc moriturus testamento reliquit: *Pacem meam do vo-*

bis, pacem meam relinquo vobis. Hanc post resurrectionem suis apprecatur, etc. Vide ergo ut pacem habeas cum Deo per veram subjectionem et conformitatem voluntatis tuae cum divina; pacem cum proximo per charitatem, humilitatem et patientiam; pacem tecum per abnegationem, et mortificationem inordinatarum passionum, quae continuo bellum tibi movent.

3. Cons. Christi benignitatem: Apostolis adhuc haesitantibus non tantum *ostendit pedes et manus,* sed etiam corpus suum gloriosum palpandum praebet. Imo, postulatum cibum praeter rationem status sui comedit. Unde tantam bonitatem ama, et de tanta benignitate confide, et ejus exemplo pro fructu spirituali aliorum aliquid aliquando de gradu tuo remitte, etc.

X.

Prosecutio.

1. *Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos.* Cons. hic dignitatem muneris apostolici, quod idem est cum eo quod Christus hic subire dignatus est, nempe annuntiatio regni Dei, et procuratio salutis proximi, de quo tibi particulariter gratulaberis; et statuas, ut quam optime tuo munere defungaris. Sed scias: sicut misit Pater Filium ad labores et dolores, ita plurima tibi fastidia generoso animo devoranda, etc.

2. Insufflando dat Spiritum Sanctum: insufflat, tum ut ostendat Spiritum Sanctum etiam a se procedere; tum ut sciremus, quemadmodum inspirato spiraculo vitae Adam vivere, vegetari, sentire, etc., coepit, ita per Spiritum Sanctum dari

animae vitam, vigorem, sensum, motum, etc. Fuit autem flatus ille pignus istius spiritus vehementis qui dandus illis erat in die Pentecostes, qui hic non dabatur, nisi in ordine ad potestatem remittendi peccata.

3. *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis; et quorum retinueritis, retenta.* Quod Deo proprium est conceditur non Angelis, sed hominibus, idque non reservate, sed absolute; ut qui sacerdos hanc potestatem consecutus est, obstupescat excellentiam status sui, et velut Dei vicarius munus suum obeat; et qui peccatis obstrictum se videt, magna reverentia cum certissima spe veniae abjiciat se ad pedes talium judicum, etc.

XI.

Apparet Thomae.

1. Cons. defectus Thomae, et causas incredulitatis: 1. Quod a coetu aliorum abfuerit, quando Christus primum apparuit Apostolis. Ita saepe qui singulares esse volunt, et a communibus exercitiis recedunt, spoliantur communibus gratiis. 2. Quod aliis pertinaciter credere noluerit, hic proprii judicii effectus est. 3. Quod Deo modum praescribere voluerit: *Nisi videro in manibus ejus*, etc., *non credam.* Dei voluntati et bonitati permittenda sunt ista. Quod octo totis diebus manserit in ea indispositione, nec ab ullo flecti se permiserit: ita solent qui de se nimium praesumunt. Permisit haec autem Deus ad confirmandam fidem resurrectionis.

2. Cons. bonitatem Pastoris quaerentis ovem perditam: eodem quo nuper modo januis clausis ingressus, stat in medio Discipulorum, et pacem im-

pertit; deinde conversus ad Thomam, prae caeteris sine dubio consternatum: *Infer*, inquit, *digitum tuum*, etc. Coram aliis eum corrigit qui coram aliis deliquerat, et forte hanc illi gratiam bonorum societas extorsit. Tu etiam spera eorum, cum quibus vivis, virtutes tibi aliquando futuras subsidio et patrocinio.

3. Visis ergo et tactis vulnerum cicatricibus, exclamavit Thomas: *Dominus meus et Deus meus*. Suum vocat, ob singulare sibi praestitum beneficium. O quanto jure idem exclamares, quoties eumdem Dominum in altari prae manibus et oculis tuis habes! tanto beatior Thoma, quod non ideo credas eum praesentem esse, quasi oculis corporeis videris, sed quia Dei verbum, cui humillime te submittis, revelavit.

XII.

De cicatricibus vulnerum.

Cons. causas cur eas Christus in suo corpore reservarit: 1. Ad fidem confirmandam, quod idem esset corpus sic in Passione concisum et confossum. 2. In signum triumphi, quod, per ea vulnera, carnem, mundum et diabolum debellasset. 3. In memoriale suae Passionis, quantum scilicet amaverit nos ut pro nobis tanta pati voluerit, et inde ad continuandum suum amorem et favorem commoveretur. 4. In signum reconciliationis et foederis nobiscum pacti in morte sua. 5. Ad incitamentum amoris, ut ex eorum aspectu nos vicissim ad eum amandum excitaremur, eique tanto ferventius serviremus, intuentes quae et quanta pro nobis ille fecerit tuleritque. 6. Ut essent no-

bis quasi quaedam civitates refugii in adversitatibus, in tentationibus, et aliis afflictionibus, ut tamquam columbae in hisce foraminibus defendamur ab infernalibus milvis. 7. Ut in die judicii sint in terrorem et confusionem reproborum et damnatorum, justis vero in solatium aeternum.

Describe igitur et tu illa vulnera in animo tuo per continuam memoriam et compassionem, et in corpore tuo per frequentem mortificationem.

XIII.

Apparet piscantibus.

1. Petrus cum sex aliis Discipulis vadit piscatum causa paupertatis, et vitandi otii; sed tota nocte nihil capiunt, donec veniret Christus; ut discant operarii: *Neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus,* et ita humiles sint ut sciant se sine eo nihil posse facere. Vana etiam piscatio est in nocte peccati et imperfectionum, quando eos, quos verbo vocas, exemplo repellis.

2. Apparet Christus stans in littore, quia jam extra mortalitatem positus, et jubet eos mittere rete in dextram navigii: quod ubi fecerunt, multos et magnos pisces ceperunt. Obedientiae hic fructus fuit. Ita, si te Christus aut ejus loco Superiores piscatum mittant, seu ad operam aliquam proximis impendendam, vide ut rete mittas ad dextram navigii, id est ut puram habeas intentionem: ita enim, quidquid evenerit, non fraudaberis fructu laboris tui.

3. Petrus a Joanne monitus quod *Dominus est,*

statim *tunica cinctus misit se in mare*, et ad Christum enatavit. Ita quos amor Dei illuminat et excitat, non tergiversantur, nullis difficultatibus aut periculis absterrentur, imo commoditates omnes, sicut Petrus navem, relinquunt. Vide an hunc stimulum sentias.

XIV.

Petro committuntur oves.

1. Christus Petrum interrogat: *Simon Joannis, amas me?* idque ter contra triplicem illius negationem, cum solus amor auferat omne damnum obitarum culparum. Et hic attende quomodo Petrus, memor istas negationes ex nimia praesumptione accidisse, nunc humiliter respondeat: *Domine, tu scis; Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* Quid si amantissimus Dominus non alia exprobratione objiceret tibi ingratitudinem tuam, quam interrogando utrum ames? quid tu diceres?

2. Ita disposito per amorem Petro committit Christus oves suas: *Pasce*, inquit, *agnos meos.* Nulla enim re melius demonstratur amor Dei quam juvando, amando et pascendo agnos Christi, id est proximum tuum; neque proximum suum juvabit aut pascet, qui Deum non amat. Dicitur autem ter: *Pasce*, quia pascendus est oratione, doctrina, et exemplo. Ita fac, ne maledictus sis Pastor, qui te potius quam oves pascas, etc.

3. Pro mercede praedicitur Petro martyrium: *Cum esses junior, cingebas te*, etc. *Cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cin-*

get, etc. Neque tu aliam a Deo mercedem in hac vita desideres quam plurima incommoda et labores, in signum sinceri amoris erga illum.

XV.

Apparet Discipulis in Galilaea.

1. Ex mandato Christi et Angelorum convenerant Apostoli et Discipuli plurimi in Galilaea, ut eum ibi viderent; stitit ergo se illis Christus, et ineffabili consolatione eos perfudit, confirmans etiam in fide resurrectionis suae.

2. Secundum datam sibi potestatem omnem in coelo et in terra, mittit eos in universum orbem ad praedicandum omnibus Evangelium, ad baptizandum in nomine Ss. Trinitatis, ad docendum servare omnia praecepta et mandata sua, addita promissione salutis iis qui crediderint, et comminatione damnationis, si quis credere noluerit. Fungere igitur hac parte muneris tui, ubicumque occasio se offerat, et maxime ibi ubi Superiores te fungi voluerint.

3. Promittit miracula: *Qui crediderint daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Quae omnia: 1. Realiter accident, quando ad fidei confirmationem necessarium, ut etiam hodie in Indiis, etc. 2. Quotidie haec spiritualiter boni operarii in proximo operantur. 3. Eadem efficere possumus in nobis ipis, ejiciendo peccata per contritionem, loquendo spiritualia, tollendo peccandi occasiones, non consentiendo tentationibus, sanando passiones, etc.

XVI.

Continuatio.

Ego, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Ubi:

1. Cons. causas hujus promissionis: 1. Ut consolaretur Discipulos, quibus tum per intervalla tanta aderat, et a quibus parabat discessum in coelum. 2. Ut animaret eos ad expeditionem ad quam mittebat, certos faciens de sua praesentia et auxilio. 3. Ut attentos redderet in suis operibus, quorum ipse testis esse volebat. Idem tibi dictum puta. Ecce ego tecum sum, ego consolator, ego adjutor, ego testis, etc.

2. Cons. verba promissionis: *Ego.* Olim Moysi Angelum dedit, nunc se. Ego Deus vester, Salvator, debellator inferni, peccati, et mortis. *Vobiscum sum:* 1. Dans esse, vivere et operari, ut in caeteris omnibus creaturis. 2. Per gratiam, dans vitam supernaturalem. 3. Per specialem providentiam, curans bonum Ecclesiae. 4. Vobiscum, in Eucharistia. Sis ergo et tu cum illo, serviendo, et amando illum, nec unquam ab eo te separes.

3. *Omnibus diebus usque ad consummationem saeculi:* non ad certos annos, sed ad omnes; non interpolate, sed continuate et semper. Hinc, quid quid accidat Ecclesiae, quidquid tibi, nunquam despondeas animo, sed de protectione securus confide, etc.

XVII.

De variis apparitionibus.

1. *Praebuit seipsum vivum in multis argumentis*, etc. Etsi semper eis invisibiliter adesset Christus, subinde tamen etiam se visibiliter ostendebat. Eodem modo agit cum servis suis in hac vita, ut, cum semper sit cum illis, aliquando se probet praesentem certis argumentis, illuminando et consolando animas, idque singulariter in sumptione sanctissimae Eucharistiae. Vide igitur ut illam ita sumus, ut sentias ibi esse Deum, et non ac si communem panem sumeres, quod tibi culpa tua et defectu dispositionis accidit, etc.

2. *Loquebatur de regno Dei*: nimirum infallibile signum resurrectionis est, et hominis in novitate vitae ambulantis, si spiritualia loquatur, si de coelestibus ad quae anhelat.

3. Proprietates apparitionum fuere: 1. Quod non erant continuatae, sed interruptae, plus vel minus frequentes pro dispositione eorum quibus apparebat. 2. Quod inopinatae et breves: *Modicum et videbitis me, et iterum modicum*, etc. 3. Locus et tempus apparitionum erant varia. 4. Modus etiam diversus, aliquando praecedente Angelorum visione, aliquando sub figura aliena, etc. Eadem servat Deus, quando animae se communicat pro beneplacito suo, et illius dispositione. Utinam aliquando se tibi ostendat, id est, *omne bonum!*

XVIII.

Apparet in die Ascensionis.

1. Accumbentibus illis apparuit, et convescens, de habitu suo significavit, eos consolans: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Deinde: *Vado parare vobis locum,* apertis portis coeli, quas triumphans ingrediar. Denique: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Ita, si nos aliquando relinquat, divinae illius providentiae acquiescendum.

2. *Praecepit eis ab Jerosolymis ne discederent:* 1. *Sedete,* inquit, desiderans quietem tum corporis, tum animi a cura rerum temporalium abstracti. 2. In civitate Jerusalem, ubi Spiritus Sanctus dari debebat, et ubi est visio pacis: frequentia populi obesse non potest, ubi cor est custoditum. 3. *Donec induamini virtute ex alto.* Sine hac Spiritus Sancti gratia nihil possumus, et temerarium foret sine hujus praesidio opus Evangelicum aggredi; induti vero, generose aggrediamur.

3. *Eduxit eos foras in Bethaniam, in montem Oliveti:* eum enim montem in quo pati coeperat elegit pro ascensione sua, ut ostenderet viam ad coelum esse securissimam viam Crucis, modo sit in Bethania, id est obedientiae domo, et inter olivas, id est opera misericordiae et charitatis.

XIX.

Ascendit in Coelum.

1. Christus in monte Oliveti pro ultimo complexu permisit Discipulis et sanctissimae Matri

oscula vulnerum suorum. Deinde, *elevatis manibus benedixit eis: elevatis manibus*, ut ostenderet se eis non terrena, sed coelestia bona adprecari. O fiam ergo particeps hujus benedictionis!

2. *Et ferebatur in coelum*, non alieno subsidio, aut Angelorum ope, sed virtute propria, quem Discipuli affectibus admirationis, gaudii et desiderio comitandi prosequebantur, donec *nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Quoties similibus affectibus nostris aliqua nubes intervenit! 1. Nubes est infirmitas carnis nostrae, volubilitas intellectus, curae temporales, etc. 2. Nubes sunt peccata, quae omnino Dei et rerum divinarum aspectum impediunt. 3. Aliquando sine culpa nostra Deus ipse se nobis subducit, etc.

3. *Ecce duo viri*, etc. Qui monuerunt Discipulos de secundo Christi adventu, ipsi quidem glorioso, sed hominibus terribili, ut qui Christum in coelum ascendentem sequi vellet, sic vivere conaretur ut sustinere posset eumdem judicantem. Deinde: *Quid statis*, inquiunt, *hic?* nimirum ita contemplationi inhaerendum non est, ut officia et actiones negligamus.

XX.

Continuatio.

1. Cons. gaudium et jubilum tum animarum quae e limbo liberatae jam Coelum cum Christo ineunt, tum Angelorum Deum suum honoris gratia deducentium et triumphos illius decantantium, tum ipsius Christi videntis finem suorum laborum, et quod ovem perditam invenisset, propter quam de Coelo in terra descenderat. Eodem anhela.

2. Cons. quomodo ab aeterno Patre exceptus sit Filius. Obtulit hic primo detractæ inferno spolia, justorum catervam. Deinde, quasi rationem reddens confecti operis, dicere potuit: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus,* et te *glorificavi super terram; opus consummavi,* etc. At ille super omnia creata Filium constituens: *Sede,* inquit, *a dextris meis,* etc. Hic fiduciam concipe eodem perveniendi, ubi os tuum et caro tua sedent ad dextram Dei, modo hic quae sursum sunt quaeras, et quae sursum sunt sapias, etc.

3. Cons. quomodo Sanctis etiam sui throni distributi sint, et coeptae reparari ruinae Luciferi, ipsis Angelis applaudentibus: simul etiam coepit Christus partes agere Advocati pro nobis, et interpellare, suas cicatrices Patri ostendendo. Unde amabo illum, et sperabo.

XXI.

De exspectatione Spiritus Sancti.

1. Cons. cur in secessu se continuerint Apostoli: 1. Quia id Christus jusserat: *Sedete in civitate,* etc. 2. Quia conscii infirmitatis suae prodire non audebant, ne humani aliquid iis accideret, sicut in Passione. 3. Ut per istam quietem tanto aptiores redderentur ad recipiendum Spiritum Sanctum. Tu, si eumdem recipere vis, cave ab omni effusione cordis, et te collige.

2. Cons. modum quo illum expectarunt: *Erant perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre Jesu.* 1. Unanimitas et conjunctio animorum vim addit orationi ad aliquid impetrandum,

Unanimis enim est oratio, quando homo exterior consentit interiori, et corpus animae. 2. Perseverantia necessaria est, ut non interrumpatur, neque taedio flaccescat oratio, cum incertum sit quando Deus dona sua largiri velit; adeoque oportet semper orare. 3. Utilissima est societas Mariae, quae apud Deum et Filium suum gratiosissima est: per hanc roga, ut tandem cor mundum creet in te Deus, et spiritum sanctum, etc.

3. Dilatus est Spiritus Sanctus ad dies decem, ut desideria crescerent, et cautius custodiretur, quod aegrius obtinebatur; et istam moram facile compensavit doni magnitudo. Fidenter expecta, etc.

XXII.

De electione sancti Matthiae apostoli.

1. Cons. providentiam Dei circa Ecclesiam, dum illi supplet necessarios pastores; et si haec aut isti alibi deficiant, alio hanc loco promovet, et alios substituit: qua etiam providentia Deus utitur circa Ordines religiosos, pro eorum conservatione. Unde salutarem concipe timorem, ne cogaris alteri cedere locum tuum.

2. Cons. in hac electione, tum suavitatem divinae dispositionis, qua non per se, sed per Apostolos voluit alium loco Judae substitui, ad commendandam eorum auctoritatem; tum obedientiam, qua omnes uni Petro acquieverunt; tum concordiam, qua convenerunt in duos; tum humilitatem, quando nemo pro se ambivit; denique negotium Deo per orationem esse commendatum.

3. Cons. divino calculo Matthiam praelatum

esse Barsabae, etsi ob sanctitatem et cognominaretur Justus, et primo loco fuisset nominatus. Sed alia judicia Dei sunt, et forte humilitati Matthiae favere voluit. Interim nec Barsabas indignatus, nec Matthias elatus fuit. Ita, si praeterearis, acquiesce divinae dispositioni, teque indignum judica. Si promovearis, ne superbias, sed potius time, et gradum suspectum habe, etc.

XXIII.

De beneficio dati Spiritus Sancti.

1. Cons. motiva quare datus sit Spiritus Sanctus: 1. Fuit bonitas, charitas et misericordia Dei, qui ita dilexit mundum, ut non solum Filium suum daret pro eo, sed etiam, quamvis pessime mundus Filium tractasset, donaret Spiritum Sanctum, ad instar matris quae filio mordenti unum uber tradat alterum, etc. 2. Fuere merita Christi Domini: *Ego rogabo*, inquit, *pro vobis Patrem, et alium Paracletum dabit vobis*. 3. Fuit nostra necessitas et miseria. 4. Ut consummaretur opus Redemptionis, dando nobis illius fructum. Atque ex his accendes in te mutuum amorem, et gratitudinem pro tanto dono.

2. Ad quid datus sit: 1. Ut esset Advocatus et Consolator loco Christi, quem non conveniebat visibiliter nobis adesse. 2. Ut esset Doctor noster: *Ipse vos docebit omnia, et suggeret vobis quaecumque dixero vobis*. 3. Ut testificaretur de Christo, illuminans et movens ad credendum. 4. Ut *arguat mundum de peccato*, etc., conscientiam stimulans, et a malo avertens. 5. Ut nihil un-

quam nobis deesset, cum haberemus Datorem do norum: unde confidere secure potes.

3. Cons. quibus detur, nimirum idiotis piscatoribus, et omnibus qui illum volunt, et ad eum recipiendum se, sicut Apostoli, disponunt, etc.

XXIV.

De modo quo datus Spiritus Sanctus.

1. *Factus est repente de Coelo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis.* 1. *Repente*, etc.: quia visitationes divinae non habent praefixum tempus, sed semper expetendae et expectandae sunt. 2. *De Coelo:* quia omne datum optimum desursum est. 3. *Factus est sonus:* ut audiretur in tota urbe in signum praedicationis, quae audiri in toto orbe debebat. 4. *Tanquam spiritus*, seu venti: quia Spiritus Sanctus habet effectus vento similes: ut enim inspiratione aëris conservatur vita, et ardor internus mitigatur, sic Spiritus Sanctus vitam animae servat, et ignem concupiscentiae mitigat. Ventus efflat paleas a tritico, Spiritus Sanctus ab operibus imperfectiones, etc. 5. *Vehementis:* quia nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia; incitat, et torporem excutit.

2. *Et replevit totam domum*, ut ostenderetur abundantia bonorum Ecclesiae collatorum; deinde neminem ab hac gratia excludi; denique quia, cum Spiritus Sanctus in animam venit, sic implet omnes illius potentias, ut omnia interiora benedicant Domino. Sed ad hoc sedere necesse est, non enim implet animam vagam, aut ad exteriora effusam, sed collectam.

3. *Apparuerunt illis dispertitae linguae, tam-*

quam ignis. Alias sub aliis formis Spiritus Sanctus apparuerat, nunc ut ignis, quia futuri praedicatores debebant purificari a peccatis, debebant illuminari in mysteriis fidei, debebant accendi charitate in Deum et proximum, debebant sursum elevari, ut conversatio esset in Coelis; debebant transformari, et fieri unus cum Deo spiritus; et quia eadem debebant in aliis operari, non apparuit igneum cor, sed linguae, etc.

XXV.

De effectu dati Spiritus Sancti.

1. *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto:* 1. Quoad omnes facultates animae, ut in omnibus subito perfecti evaderent. 2. Quisque pro officii et gradus sui mensura. 3. Capacitate vasorum et dispositione: unde plus accepit Dei Mater, deinde Apostoli, tum caeteri. Proinde *dilata os* et cor *tuum*, ut Deus impleat illud, ad quod ista juvabunt: 1. puritas conscientiae; 2. humilitas cordis; 3. fiducia in Deum; 4. fervens oratio.

2. *Coeperunt loqui variis linguis.* Illuminati scilicet, sciunt jam qui loqui oporteat; et animati, audent. Variis autem linguis, quia omnibus populis Evangelium praedicare debebant. Olim confusae erant linguae superbis aedificatoribus turris Babel; his Ecclesiam et perfectionem aedificaturis datur omnium notitia linguarum.

3. *Loquebantur autem prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*, nempe ut dicit Paulus: *Non sumus adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.* Ubi nota quatuor circumstantias recti

sermonis: 1. Ut ex sincera intentione, ad Dei gloriam. 2. Ut sicut ex Deo, non perturbato affectu, et ex passione. 3. Ut tanquam Deo praesente et audiente. 4. Ut in Christo, de rebus spiritualibus, non vanis et impertinentibus. Atque ad hanc regulam sermones tuos examina.

XXVI.

Continuatio.

1. Apostoli, accepto Spiritu Sancto, mox audent prodire in publicum, quia vult Deus ut gratiam ejus non sinamus esse otiosam; et sicut imprudentiae est et praesumptionis sine ea se publico ingerere, ita foret pusillanimitatis et vitii velle post hanc acceptam delitescere, et sibi soli vacare. Loquebantur autem ipsi magnalia Dei, non se et donum suum jactabant, etc.

2. Pars multitudinis stupebat eam linguarum varietatem et libertatem, nam *cum fiducia loquebantur verbum Dei*; pars vero irridentes dicebant: *quia musto pleni sunt*. Ita nimirum nunquam deerunt irrisores; et qui istud ferre non potest, sed suis actionibus vult ab omnibus acclamari, uti vanus est, ita nullum unquam fructum referet: quae bene coepta sunt, propter irrisiones non sunt deserenda.

3 Ex irrisione captat Petrus, ut caeterorum caput, occasionem docendi populum, ac, refutata calumnia ebrietatis (*cum hora tantum esset diei tertia*), ostendit impletam esse prophetiam Joëlis. Deinde Christum praedicat tanto zelo, ut compuncti dicerent: *Quid faciemus, viri frates?* ac tandem conversi, ad tria circiter millia baptizati

sint. Atque hic fructus solet colligi quando respectus humani et carnalium hominum contradictiones vilipenduntur, etc.

XXVII.

De vita primorum Christianorum.

1. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus.* His tribus vita spiritualis nutritur et augetur: 1. Audiendo et legendo utilia. 2. Frequentatione sanctae Eucharistiae. 3. Assidua oratione. Atque hinc fiebat, ut et ipsi Spiritu Sancto replerentur.

2. Perfectionem consiliorum, quae Christus suaserat, primi Christiani sectabantur: hinc erant pariter, id est, communem vitam agebant, ea consensione ut *credentium* esset *cor unum et anima una*, quantumvis natura, ingenio et moribus dissiderent; hinc etiam nihil proprium possidebant, sed omnia erant communia omnibus, et dividebantur inter omnes, prout cuique opus erat; nec erat quisquam egens inter illos. Et Ananias cum sua uxore, hujus paupertatis transgressores, terribili morte a sancto Petro multati sunt.

3. *Quotidie erant perdurantes unanimiter in templo*, etc., *et sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habebant gratiam ad omnem plebem.* Ubi iterum tria notantur: 1. Frequentatio templi causa orationis, cum perseverantia et unanimitate. 2. Convivatio fraterna cum sinceritate, ad laudem et gloriam Dei. 3. Bonum exemplum quo proximos aedificabant, unde gratiosi erant apud omnes. Disce et tu christiane ac imprimis religiose hos imitari.

XXVIII.

De Spiritus Sancti inspirationibus.

1. *Spiritus ubi vult spirat*, quibus vult, quando vult, sicut vult, subinde non petentibus nec cogitantibus inspirat, aliquando indignis et immerentibus, qui etiam contradicentibus (ut Paulo), ex sua summa bonitate; sed praecipue justis inspirat bona, ut ea cum libertate spiritus, et ex liberalitate, et studio placendi Deo, operentur. Atque hujus exemplo conetur spiritualis homo omnibus benefacere.

2. *Et vocem ejus audis:* tam enim potens est, ut illuminando intellectum suaviter inflectat voluntatem, adeo ut etiam cum Paulo exclamare libeat: *Domine, quid me vis facere?* Discerni autem potest sitne vox Spiritus Sancti, si a malis abducat, impellat ad bona, si sequatur gaudium, et pax conscientiae. Habet et spiritualis voces suas quibus auditur, exempla scilicet virtutum.

3. *Nescis unde veniat, aut quo vadat.* Modus, tempus, locus inspirationum incerta sunt, ut semper illis attendamus; finis etiam saepe latet, quem Spiritus Sanctus intendit, ut humiliter illi obtemperemus, magna tamen semper fiducia, cum a rebus in specie minimis saepe dependere possit salus et perfectio nostra, etc.

XXIX.

De septem donis Spiritus Sancti.

1. Cons. divinam Bonitatem, praeter tres virtutes theologicas, etiam hominibus largiri septem dona Spiritus Sancti, quae sunt qualitates quae-

dam animam reddentes aptam excipiendis divinis motionibus et inspirationibus, ad malum facilius declinandum, et bonum faciendum: pro quibus gratias age, et ut in te vivacia sint et efficacia roga.

2. Cons. illorum effectus in declinatione mali. Taedio et fastidio rerum divinarum resistit *Sapientia*, communicans nobis earum gustum et dulcedinem, ut terrena desipiant. Ignorantiae rerum ad fidem et salutem pertinentium medetur donum *Intellectus*, nos illuminans. Perplexitati in subitis malis et tentationibus occurrit *Consilium*. Donum *Scientiae* facit ut impostu as diaboli clare cognoscamus. *Fortitudo* tollit imbecillitatem animi, ut nihil contra conscientiam ob respectus humanos et alios timores vanos agamus. *Pietas* emollit duritiem cordis. *Timor* vero Domini fraenat superbiam, et alios pravos affectus.

3. Cons. quomodo eadem juvent ad bonum: *Sapientia* juvat ad perfectiones divinas intelligendas; *Intellectus*, ad penetranda fidei mysteria; *Scientia*, ut res creatae, quatenus a Deo sunt, recte considerentur; *Consilium*, ut ex his eliciantur particularia et efficacia proposita; donum *Timoris* docet nos quomodo nos circa Deum gerere debeamus; *Pietatis*, circa proximum; *Fortitudinis*, circa nos ipsos.

XXX.

Lapidatur Stephanus.

1. Prima post Christum et pro Christo fuit victima sanctus Stephanus: in quo haec Dei dona mirare, quod fuerit plenus Spiritu Sancto, *plenus*

gratia, scientia, fide, et *fortitudine*; et cogita quam recte iis donis usus sit, docendo et commonendo Judaeos, faciendo prodigia multa et signa, idque tanta fortitudine et constantia, ut non possent ei resistere, etc. Auget nimirum dona Dei, qui iis bene utitur, sicut, qui negligit, perdit.

2. Cons. favores illi conces os: *Intendens in Coelum, vidit gloriam Dei et Jesum stantem*, etc. Tales saepe Sanctis conceduntur, et, licet expetendi non sint, cavendum tamen ne iis reddamur indigni. Concessi autem Stephano sunt, tum in praemium tam generosae confessionis, tum ad roborandum pugnantem: unde Jesus stans apparet, quasi ad subsidium paratus; denique, ut magis animaretur. Unde erupit clamans: *Ecce video Coelos apertos*, etc.

3. Cons. mortis modum. Hinc Judaei quos merito *dura cervice*, etc., appellaverat, obturantes aures suas bonis admonitionibus, ejiciunt eum et lapidant. Inde ille lapidatus orat: *Domine, suscipe spiritum meum*: idque stans, deinde flexis genibus magna voce clamat: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, clare ostendens quantum arderet proximorum, eorumque lapidantium et persequentium charitate: in qua illum imitäberis.

XXXI.

Convertitur Paulus.

1. Cons. qualis ante conversionem fuerit. 1. Imprimis Jerosolymis graviter persecutus erat Discipulos; unde Ananias: *Audivimus*, inquit, *quanta mala fecerit*, etc., ubi lapidationi sancti Stephani non modo consenserat, sed, ut esset in omnium

lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servarat. 2. *Adhuc spirans minarum*, id est, non mitior, sed acerbior factus, ut recentem Ecclesiam omnino exscinderet. 3. Neque spirans tantum minarum, sed etiam *caedis*. 4. Adito Principe Sacerdotum, se ultro offert caedis administrum et executorem. 5. Non sufficit ejus crudelitati Jerosolyma, Damascum petit.

2. Cons. Deum id in Saulo permisisse: 1. Ad ostendendas divitias bonitatis suae, dum talem non modo patienter tolerat, sed etiam in tam sanctum tantumque Ecclesiae praesidium immutat, ut desperare nullus merito possit. 2. Ut, quia ipsum ad magna elegerat, prius illum fundaret in maxima humilitate, ut meminisset qualis a se fuisset *persecutor et blasphemus, et gratiae Dei esse id quod esset:* quem tu fructum a peccatis tuis collige.

3. Cons. Saulo profuisse: 1. orationem sancti Stephani; 2. ignorantiam legis Christianae; 3. zelum legis Judaicae, qui, licet malus esset, tamen apprehendebatur ut bonus, ideoque facile Dei misericordiam consecutus est, etc.

XXXII.

Continuatio.

1. Cons. modum conversionis ex parte Dei: 1. *Circumfulsit eum lux de Coelo*, coelesti enim luce et gratia opus est. 2. Dicitur: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris; durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Ita gravitate et malitia peccati percellitur animus persecutoris; et nota: Christum in-

jurias, quae suis fiunt, suas reputare. 3. Mittit illum ut ab Anania discat quid illum facere oporteat; non per se docet, ad majorem illius humilitatem. 4. Eodem tempore monet Ananiam, ut quodammodo testaretur quantopere sibi cordi esset hujus conversio, etc.

2. Ex parte Saulis: 1. *Dum iter faceret* in via. In vita conversioni est locus, non in termino, neque commode in morte. 2. *Cecidit in terram*, ut humiliter statum et conditionem suam consideraret. 3. *Audivit vocem:* divinis inspirationibus attendendum, neque reprimendi sunt morsus conscientiae peccata objicientis. 4. Et dixit: *Domine, quid me vis facere?* en promptam voluntatem faciendi quidquid Deus per se vel per alios suos vicarios mandaverit. 5. *Apertis oculis nihil videbat*, ita ut manu trahi deberet. Initio conversionis nemo sibi satis prudens est, aliorum ope et ductu indiget. 6. *Tribus diebus non manducavit neque bibit*, quia initio studendum corporis macerationi, etc.

3. Cons. qualis post conversionem: *Vere vas* etc.

XXXIII.

De vita Beatae Virginis post adventum Spiritus Sancti.

1. Ad votum castitatis quod jam olim fecerat, adjecit vota paupertatis et obedientiae, vivens de communibus quae dividebantur, prout cuique opus erat, et subjiciens se exactissime constitutionibus et decretis Apostolorum. Accedebat modestia singularis in omni motu gestuque corporis, index internae compositionis, qua Deo placere studebat.

2. Maxime intendebat studio orationis et contemplationis; cum enim non tantum abessent qua-

tuor impedimenta, culpa mordens, cura pungens, sensus egens, et irruentia phantasmata imaginum corporearum, quae Bernardus recenset, sed haberet fidem vivam mysteriorum, et sapientia reliquisque donis Spiritus Sancti eximie esset instructa, non poterat non in illius meditatione exardescere ignis intensissimi amoris erga Deum; frequenter deinde obibat loca ubi passus Filius, denique quotidie communicabat incredibili devotione.

3. Studebat proximorum saluti, quam promovebat: 1. ferventissimis precibus; 2. exemplo virtutum omnium; 3. etiam verbo, quando occasio ferebat; et quia constabat etiam plus caeteris a Filio et Spiritus Sancto edoctam, passim adibatur et consulebatur; et quia toto conatu istas virtutes exercebat, dici non potest quanto in dies gratiarum, etc., incremento ditaretur.

XXXIV.

De morte Beatae Virginis.

1. Continuis virtutum exercitiis non tantum, sed etiam ardentissimis desideriis videndi Deum, ad mortem se praeparabat; idque non ex laborum et hujus vitae taedio, sed ex purissimo Dei amore: nihilominus voluntatem suam divinae subjiciebat, parata diutius vivere, si id foret ad majorem Dei gloriam et fructum proximorum.

2. Etsi ab originali peccato praeservata fuisset, non fuit tamen exempta lege moriendi, tum quia neque Filius ejus eam praerogativam habuit, tum ut, experiendo et vincendo mortis difficultatem, merita sua accumularet, et tanto benignius nobis

in eadem difficultate constitutis patrocinaretur: credibile tamen est mortis horam illi ab archangelo Gabriele denuntiatam, et Apostolos divinitus monitos, ut morienti adessent. Tu, ut illa tibi adesse velit, humillime roga.

3. Tandem moriturae apparet Christus, eam ad gloriam et mercedem suorum laborum et meritorum invitans, in cujus non tantum conspectu, sed etiam complexu sanctissimam animam exhalavit. Vere mors pretiosa! 1. Quia non morbo, sed amore languens vita defecit. 2. Quia sine ullo doloris sensu facta est separatio animae a corpore ita providente Filio, in compensationem ejus doloris quem ipsa sensit in morte illius. 3. Quia tantus cumulus bonorum operum et meritorum eam comitabatur. Tu, dum tempus est, ad eam te praepara, etc.

XXXV.

De gloria animae Beatae Virginis.

1. Excepit illam Christus Dominus, ut redderet ei vicem quae illum infantem toties ulnis gestarat; suis eam manibus in Coelum deportat, ut stupentes Angeli merito rogare potuerint: *Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Deinde pleno choro effusi, eam iterum salutant: *Ave, gratia plena, Dominus tecum,* etc. Sequere euntis vestigia, relinque desertum mundi, contemnendo ejus voluptates, et innitere Deo, non tuis viribus.

2. Aestima magnitudinem gloriae ex eo quod omnibus justis dicitur: *Mensuram confertam et coagitatam dabunt in sinum vestrum;* qualem

igitur Dei Matri! Item ex eo: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Cum igitur Beatae Virginis maxima semper mensura mensa fuerit, quantum illi remensum fuit! Novit illa sola quae accepit. Et qui ne frigidae quidem haustum indonatum relinquit, quid ei rependerit Filius quem lactaverat! Deinde, cum gloria gratiae respondeat, eaque sola tantum gratiae habuerit quantum omnes Sancti simul, necesse ut gloria superet omnes omnino creaturas, etc. *Ave* ergo, et *gratia* et gloria *plena!*

3. Exaltata est super choros Angelorum, et triplici corona a sanctissima Trinitate donata: corona Potestatis, Sapientiae et Charitatis; item triplici laureola, Virginitatis, Martyrii, et Magisterii. Accessit corona stellarum duodecim in mercedem virtutum, quibus ipsa tam intense constanterque incubuit. De his gratulare Dominae tuae, etc.

XXXVI.

De Assumptione.

1. Corpus Beatae Mariae in sepulcro mansit incorruptum, tum ob gloriam virginitatis, ut quod sine corruptione pepererat, incorruptione donaretur; tum ob animae puritatem ab omni peccato, cujus habitaculo ideo debuit honorari; denique, quia Christi caro de illius carne erat, decuit ut, sicut Filii, sic et Matris maneret incorrupta.

2. Decuit etiam ut ante communem resurrectionem illud corpus resuscitaretur, tum ut satisfieret desiderio illius animae sanctissimae resumendi corpus, cui Deus, pro amore quo Matrem suam

prosequebatur, satisfecit; tum ad spem futurae resurrectionis in nobis confirmandam; denique ut, sicut Mediator noster Christus pro nobis Patri ostendit vulnerum suorum cicatrices, ita Mediatrix nostra ostendere posset Filio ventrem qui illum portaverat, et ubera quae suxerat.

3. Cons. assumptionis modum. Sustulerunt Reginam suam Angeli cum jubilo et canticis. Christus Matrem suam excepit in Coelo Empyreo, et supra omne id quod Deus non est illam collocavit. O quae hic exaltatio Virginis, quae gratiarum actiones! quae Angelorum, et reliquorum Sanctorum gratulatio! In hac illam gloria venerare, et precare ut ad illam aditum tibi facere potentissimis suis precibus dignetur.

XXXVII.

De humilitate Beatae Virginis, qua sic meruit exaltari.

Coronae stellarum duodecim respondent duodecim actus humilitatis, in quibus Beata Virgo singulariter se exercuit.

1. Est: Occultare dona Dei. Beata Virgo mysterium concepti Verbi ne dilecto quidem sponso suo manifestavit.

2. Odisse laudes. Beata Virgo, ad honorificam Angeli salutationem, *turbata est.*

3. Dare Deo omnem gloriam. *Magnificat,* inquit Virgo, *anima mea Dominum, quia respexit humilitatem ancillae suae.*

4. Abjectionem eligere. Beata Virgo, dum fit Mater Dei, *ancillam* se nominat, et exhibet.

5. Subjicere se legibus, a quibus eximi quis posset. Ita Beatissima Virgo purificari voluit.

6. Submittere se inferioribus. Ita Beata Virgo Elisabethae.

7. Ministeria vilia obire. Beata Virgo domi ancillabatur, omnia obiens.

8. Detrectare honorifica. Ita Beata Virgo semper delituit, neque legitur publice docuisse, aut ulla patrasse miracula.

9. Paupertatem amare et profiteri. Sic Beata Virgo in stabulo peperit, et in purificatione columbas offerre voluit, quod munus erat pauperum.

10. Patienter ferre ignominiosa. Quae cum plurima Christo inferrentur, perferre Mater debuit et voluit.

11. Ferre asperiora verba. Ita Beata Virgo non semel a Filio: *Quid est quod me quaerebatis?* et: *Quid mihi et tibi, mulier?*

12. Participem se facere injuriarum alienarum. Ita Beata Virgo cruci astitit, Matrem se professa tam ignominiose crucifixi.

XXXVIII.

De devotione erga Beatam Virginem.

1. Cons. causas cur tenerrime affici Beatae Virgini debeamus: 1. Quia est honor et gloria generis nostri, dum in eo statu constituta est, quo majorem et nobiliorem creatura adipisci non potest: quid enim nobilius Dei Matre, eademque Virgine? Sed Virgo non nisi Deum parere debebat. 2. Ob excellentiam sanctitatis, cum in illa una fuerint omnia genera charismatum et donorum supernaturalium, et gratiarum gradus eminentiori modo

quam in ullo sive Angelorum, sive Sanctorum ordine, ita ut sola aequet omnium Angelorum et Sanctorum sanctitatem. 3. Ob eminentiam gloriae, quae sanctitati respondet, et qua illam sanctissima Trinitas, et maxime Filius honorat. 4. Quia ad quidvis nobis impetrandum potentissima est, et ex affectu misericordiae benignissima, ut etiam vota clientum suorum praeveniat, ut in nuptiis Canae Galileae, ut merito Bernardus: « Sileat, o Virgo, laudes tuas, qui te in suis necessitatibus invocatam sibi senserit defuisse. »

2. Cons. praecipue illius cultum in eo consistere, ut virtutes illius imiteris. Inde in meditationibus de vita Christi saepe oculos in illam conjicies, attendendo ad illius modestiam, patientiam, humilitatem, ut in iis te illi conformes.

3. Alii colendi modi sunt: 1. Sermonibus et colloquiis proximum ad ejus cultum accendere. 2. Festa illius jejunio, etc., celebrare. 3. Certas illi quotidie preces persolvere. 4. Denique nihil momenti alicujus aggredi, non invocato prius ejus patrocinio, etc.

VIAE UNITIVAE

SECUNDA PARS

DE PERFECTIONIBUS DEI ET BENEFICIIS

NOTANDA

In beneficiis Dei haec potissimum attendi debent.

1. Intrinseca magnitudo beneficii. Quaedam enim continent bona innumera, ut mundi creatio et conservatio; quaedam habent excellentiam infinitam, ut Incarnatio, Redemptio, sanctissima Eucharistia, etc.; et quaedam, si exigua videntur, tam frequentia tamen sunt, ut vel hinc aestimari maxime debeant. Accedit

2. Infinita Dei benefacientis magnitudo, ob quam minimum etiam beneficium maximi faciendum est.

3. Infinitas amoris, quo Deus confert beneficia, et quo semper paratus est majora adjicere.

4. Infinita bonitas, quia gratis confert, quia saepe immeritis, indignis et ingratis, imo mala potius et poenas merentibus. Unde

5. Vilitas hominis aut creaturae, cui beneficium confertur, auget etiam vehementer illius aestimationem.

Gratitudo ergo singularis a nobis requiritur, ut et agnoscamus beneficium, et laudemus benefactorem, eique gratis reddamus obsequia cum affectu supplendi aliorum ingratitudinem, etc.

I.

Deum esse.

1. Colligitur id ex fabrica universi, ubi tanta creaturarum multitudo, varietas, ordo, pulcritudo, proportio, etc., ut fateri necesse sit non a seipsis, neque casu aliquo tales, sed a sapientissimo aliquo Architecto conditas et ordinatas esse: sicuti qui numeris omnibus absolutam fabricam viderit, continuo advertit opus esse magni alicujus artificis. Audi proinde creaturas omnes clamantes: *Ipse fecit nos, et non ipsi nos;* easque excita in laudem Auctoris sui, ut *benedicant omnia opera Domini Domino,* etc.

2. Cons. teipsum, ac imprimis mirabilem corporis tui structuram, cum tanta membrorum varietate, tot organis, tot officiis et motibus, etc.; deinde animae excellentiam cum suis potentiis, memoria, intellectu et voluntate; cogerisque exclamare: *Mirabilis facta est scientia tua ex me,* o Deus meus, et: *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus;* videbisque ne ulla potentia, ullum membrum, ab ordinatione, fine et voluntate auctoris deflectat.

3. Motus etiam sublunares esse Deum demonstrant, aëris intemperies, fulmina, imbres, tempestates maris, terraemotus, pestis, fames, bella, regionum eversiones, etc., in nobis etiam pugnae

et rebellio carnis adversus spiritum, etc., cogunt nos Dei meminisse, et ab eo opem postulare, qui auctor bonorum, et in malis praesidium est.

II.

Deum esse qui est.

Ad ostendendam essentiae suae praerogativam Deus de seipso dixit: *Ego sum qui sum;* et Moysi mandavit: *Dices filiis Israël: Qui est misit me ad vos.* Igitur

1. Deus est *qui est*, quia a seipso est, non ab alio: cum enim caetera omnia ex seipsis habeant ut non sint, et habeant a solo Deo ut sint, si ipse quoque ab alio acciperet ut esset, jam non ipse, sed istud aliud esset Deus. Est igitur Deus, sicut rerum aliarum omnium principium, ita et, ut ita dicam, sui ipsius, sed sine principio.

2. Quia semper fuit, semper est, et semper erit, suo esse tôtam implens, adaequans, in se complectens et ambiens aeternitatem.

3. Quia ubique est, implens immensitatem spatiorum quorumvis imaginabilium.

4. Quia non habet esse limitatum, neque est hoc vel illud sicut homo vel Angelus, sed totum esse in se complectitur perfectissime et eminentissime, continens in se totam entis latitudinem et amplitudinem.

5. Quia immutabiliter est, omnia sua ita simul habens et firmiter possidens, ut nihil ei de novo possit accedere, nihil decedere.

Felix ergo anima quae tam sempiterno, tam im-

menso, tam universali, tam immutabili et constanti bono adhaeret, et esse pergit cum eo a quo esse suum accepit.

III.

Deum esse aeternum.

1. Quia infinito intervallo et infinitis saeculis fuit ante omne tempus imaginabile, et post omne tempus imaginabile erit intervallo infinito. Concipe igitur ante mundum conditum tot miriades saeculorum, quot sunt arenae in omnibus litoribus, quod guttae in omnibus aquis, quot folia in omnibus arboribus, quot gramina in omnibus pratis, etc.; huic incomprehensibili numero adde tot milliones saeculorum, quot pulvisculi necessarii forent ad implendum universum, aut continua proportione auge quoties augeri posset per annos mille, etc.; quisquis denique numero existet, erit finitus ante quem et post quem infinita sunt saecula quibus Deus fuit et erit.

2. Aeternus dicitur Deus, qui omnia bona sua, omnem potentiam, sapientiam, beatitudinem, omnia gaudia et oblectamenta, quae per infinitum tempus acquirere posset, simul perfectissime habet collecta, et immutabiliter ita possidet, ut nulla ei fieri possit accessio, nulla decessio: hinc omnia Dei decreta et consilia sunt ab aeterno.

3. Dicitur aeternus, ut causa aeternitatis in creaturis: ipse enim suo potentissimo, assiduo et immutabili influxu, quo omnia creat et conservat, causa est cur mundus, Angeli et homines in aeternum sint permansuri una cum statu gloriae vel damnationis.

IV.

Deum esse infinitum.

1. Tanquam causa foecunda, in quo tota entis amplitudo (quae infinitas omnium generum species et singularum specierum infinita individua complectitur) eminenter existit. Hic continetur et possidetur copia infinita quidquid pretiosi, pulcri, splendidi, delectabilis mente concipi potest: haec enim omnia et infinita alia, quae nulla mens creata concipere queat, sic in divina essentia, sapientia et omnipotentia existunt, ut unico nutu voluntatis divinae possit ea in quantavis multitudine et magnitudine foris producere. Unde qui Deum possidet, possidet illa omnia, et in Deo fruitur.

2. Quia ipse solus per se omnibus illis infinitis quae in ejus essentia, sapientia et potentia eminenter continentur, etsi actu foris existerent, est infinite excellentior, sublimior, major, pulcrior, amabilior, imo omnia illa simul sumpta sunt instar nihili in comparatione divinae Excellentiae. Unde qui Deum possidet, incomparabiliter magis gaudet ejus solius possessione quam si omnia illa extra Deum possideret.

3. Quia omnes et singulae ejus perfectiones et attributa sunt infinita. Itaque potentia, sapientia, bonitas, amabilitas, et caetera, infinita sunt. Neque enim competunt Essentiae infinitae, nisi infinita. Imo, illa attributa sunt ipsamet realiter essentia, etc.

V.

Deum esse incomprehensibilem.

1. Incomprehensibilis est intellectu, qui, quantumvis sublimis sit, non potest tamen viribus naturae Deum attingere, ita ut illum clare cognoscat sicut in se est; sed quantumvis mente ascendat in altum, semper infinite aberit ab ejus clara cognitione. Imo nec mens quidem adjuta lumine gloriae potest ita illum cognoscere, ut nihil ipsius lateat cognoscentem; semper enim infinita, imo infinities infinita restabunt, quae distincte non cognoscentur.

2. Incomprehensibilis est affectu, quia nulla mens creata potest illum amare, honorare, aestimare, laudare, revereri quantum satis est et dignus. Sed ipse omnem amorem, honorem, aestimationem, laudem, reverentiam omnis creaturae, etiam omnium Beatorum, infinite superat.

3. Conandum nihilominus est ut eum in hac etiam vita, quantum fieri potest, cognoscamus et amemus: *Haec* enim *est vita aeterna*, ajebat Christus, *ut cognoscant te*, etc. Cognosci autem utcumque potest, tum affirmando de illo omnem perfectionem imaginabilem, ut dicatur justissimus, sapientissimus, potentissimus, optimus, pulcherrimus, amabilissimus, etc.; tum negando esse id quod a nobis concipi potest, sed infinite supra illud. Sic non est odorus ut flos, non lucidus ut sol, etc., sed infinities odoratior, lucidior, etc.; atque ex hac qualicumque cognitione facile inflammabitur amor.

VI.

Deum unum esse, sed trinum in Personis.

1. Unus est, quia in Deo debent esse omnes rationes boni; non essent vero, si alius per aliquam ab eo differret. Deinde unus debet esse mundi rector et gubernator, unus legislator, unus judex, unus omnium finis: plures enim, uti dissidere possent et invicem repugnare, ita turbarent omnia, neque sciremus cui potissimum attendi deberet, et ab unius sententia appellaremus ad alterum, et plures fines appetitum nostrum non explerent. Nec dici potest fore subordinatos; quisquis enim alteri subordinatus esset, jam non esset summus, adeoque nec Deus: itaque unus est, ut uni tanto securius et contentius serviam.

2. Trinus est in Personis. Ut nullum bonum abesset ab isto Ente summo, requirebatur ut non solum se communicaret ad extra per quandam participationem limitatam, ut factum est in creatione mundi et rerum aliarum, sed etiam intra; idque ab aeterno per communicationem totius substantiae suae, ut bono societatis plures fruerentur, plures personalitate, non natura, quae in pluribus una eademque est.

3. Modus procedendi divinarum Personarum est is: Pater, intelligendo se ipsum clare et perfecte, format adaequatam sui imaginem, eamque substantialem, cum accidentia in Deo esse non possint. Haec imago est Filius. Deinde, cernens hanc sui adaequatam imaginem, in eam fertur amore infinito, quo etiam fertur Filius in Patrem: isque amor reciprocus est Spiritus Sanctus. Fidem hujus mysterii vivam pete ab ipsa sanctissima Trinitate.

VII.

Deum esse summe bonum et sanctum.

1. Quia continet omnem rationem boni in creatura, vel a creatura imaginabili, idque non per accidens et per quamdam participationem, sicut nos, sed per naturam et essentiam suam; adeoque indefectibiliter bonus et sanctus est, et in cujus comparatione omnis nostra bonitas et sanctitas nihil est. Unde merito Christus dixit: *Nemnem bonum esse, nisi solum Deum.* Hinc etiam quivis Sanctus coram Deo humiliari debet.

2. Cons. omnes virtutes, quae fuerunt unquam in Sanctis vel Angelis, vel sunt, vel erunt, esse sine ullis imperfectionibus et limitationibus modoque eminentissimo in Deo. Habet infinitam prudentiam, infinitam temperantiam, fortitudinem, justitiam, infinitam charitatem, liberalitatem, misericordiam, infinitam mansuetudinem, clementiam, patientiam, et caeteras omnes quae non praesupponunt aliquam imperfectionem in subjecto cui insunt. Atque hae virtutes divinae sunt exemplar et idea virtutum nostrarum, ut tanto eae in nobis sint perfectiores, quo divinis fuerint similiores.

3. Cum perfectio sanctitatis consistat in cognitione et amore Dei, et Deus seipsum infinite cognoscat et amet et fruatur, certum est eum esse infinite sanctum, imo ipsam sanctitatem infinitam, etc. Igitur ***perfectus esto sicut Pater tuus coelestis***, etc.

VIII.

Deum esse summe sui communicativum.

1. Natura boni est ut sese maxime diffundat; quare Deus, qui est summum bonum, id facit excellenter: 1. Quia libere, pro bona voluntate sua, non coacte. 2. Quia nullo suo commodo aut emolumento: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* 3. Quia summe se communicat pro modo sapientiae suae. Ita tu voluntarie illi sacrifica, impende te et tua quantum potes, nihil aliud spectans quam ipsius Dei gloriam et beneplacitum.

2. Communicat se Deus, dans rebus esse naturale secundum quatuor gradus substantiae, corporeae, viventis, sentientis, et intelligentis: ques cum singulos diversis creaturis tribuerit, et homini omnes, merito requiritur ab eo ut Deum amet ex toto corde pro bono corporis, ex tota anima pro bono vitae, ex omnibus viribus pro bono sentiendi, et ex tota mente pro bono intelligendi. Praeterea, disce in creaturis attendere et cognoscere Creatorem.

3. Amplius se communicat, dans esse supernaturale, idque etiam quatuor modis: 1. Dans esse gratiae, qua filii Dei efficimur. 2. Esse gloriae, in qua similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. 3. Esse personale Verbi divini, ut homo sit verus Deus. 4. Idem Verbum communicatur ineffabiliter omnibus volentibus in Eucharistia. Atque horum duo modi postremi non Angelis, sed soli homini concessi sunt, ut te vicissim totum ei reddas, etc.

IX.

Deum esse summe amabilem.

Bonum quod omnes naturaliter amant, vel amatur propter seipsum, vel propter utilitatem, vel propter delectationem, juxta triplicem differentiam boni, honesti, utilis et delectabilis.

1. Deus summe amabilis est propter seipsum, quia est summe et infinite bonus, imo ipsa bonitas infinita, neque propter aliud amari debet, quam quod sit dignus infinito amore: quem si rependere non potes, ama saltem quantum potes, ama super alia omnia; et si quid aliud amas, ama propter illum, qui est fons et origo boni, quod amas in alio.

2. Summe amabilis est propter utilitatem: non enim tantum dedit tibi esse naturale, sed omnia in usum tuum procreavit, et ad haec illa conservat, imo illa stimulat et dirigit, ut tibi serviant et benefaciant: quod si attenderes, non in creaturas, sed in Deum rapereris, et accepto aliquo undecumque beneficio primas semper grates rependeres Deo Creatori et causae principali beneficiorum omnium. Deinde numera gratias quas accepisti, si potes, et quas adhuc dare paratus est, et aestima gloriam quam exspectas. Si amorem illi debes ob naturalia, quid debebis ob supernaturalia? si ob temporalia, quid pro aeternis?

3. Summe amabilis est propter delectabilitatem: sed hoc solum noverunt qui gustarunt quam suavis sit Dominus, et expertus potest dicere *quid sit Deum diligere.* Atque istud centuplum est quod promittit terrena deserentibus, quod illos coelestibus et suis deliciis impleat, etc.

X.

Quomodo Deus amet.

1. Amat seipsum amore benevolentiae, quantum amabilis est infinita ejus bonitas. Deinde inter Personas divinas est amor amicitiae perfectae, quia sunt aequales, quia communicant in bono infinito, quia unum sunt, unum velle habent, unum intelligere, unum operari. Gaude sic Deum saltem amari, quantum amabilis est.

2. Hominem amat prae caeteris creaturis, tum quia ad similitudinem suam illum fecit: similitudinem autem causa amoris est; tum quia illum per gratiam fecit divinae consortem naturae, et ad aliquam quodammodo aequalitatem evexit, ut eum amore amicitiae prosequeretur. Unde amicum, sororem, sponsam vocat, singulari amicitiae praerogativa. Deinde bona sua, naturam, gratiam, gloriam cum illo communicat; et quae obsequia ab homine illi redduntur, etsi bona sua sint, tamen ita recipit et agnoscit, ac si essent hominis. Denique unum secum facit: *Qui* enim *adhaeret Deo unus spiritus efficitur*. Disce ex hac Dei benevolentia non solum quantum illum redamare debeas, sed etiam quantum affici proximo quem ille sic amat.

3. Creaturas irrationales amat Deus amore concupiscentiae in bonum hominis, propter quem illas creavit, ut ex illis et in illis homo amaret et laudaret Deum. Si ergo Deus in singulis te amavit, quomodo non vicissim in singulis amabilis illum? etc.

XI.

De excellentiis divini amoris.

1. Quod sit aeternus: ab aeterno enim amavit quos creare constituerat; unde et prior dilexit nos, et gratis, nullo suo spectato commodo; deinde paratus est gratia et gloria donatos in aeternum amare, nisi nos isti amori obicem ponamus, et quodammodo nuntium remittamus.

2. Quod sit universalis, ad omnes se extendens: quia *omnes vult salvos fieri, et solem suum oriri facit super justos et injustos,* etc., omnibus necessaria ad salutem adjumenta providens, malos etiam blande revocans, et diu dissimulans peccata propter poenitentiam.

3. Quod sit maxime sublimis, ob donorum communicatorum magnitudinem: facit enim nos filios Dei, et majora pollicetur, juxta illud: *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus,* etc. Deinde humana natura per incarnationem assumpta est, ut idem esset homo et Deus, ut hoc aequalitatis jure constaret amor solidior. Denique quotidie Filium suum dat in Eucharistia, dat Spiritum Sanctum, donorum omnium fontem.

4. Quod sit profundissimus, tum quia *exinanivit seipsum, formam servi accipiens,* non tantum naturam nostram, sed etiam aerumnas suscipiens; tum quia secreta sunt judicia Dei, et modi admirabiles, quibus suos ad finem optatum deducit. Similiter stude redamare, etc.

XII.

Deum amari velle a nobis.

1. Quia naturae nostrae vilitas nunquam ausa fuisset aspirare ad amicitiam tantae Majestatis, licentiam ejus non solum nobis fecit, sed etiam ursit manifesto praecepto: *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. Quod praeceptum Christus vocat primum et maximum: primum, quia fundamentum est reliquorum et omnis perfectionis; maximum, quia sine charitate reliquae virtutes nihil sunt, et cum hac etiam minimae maximum pondus et meritum habent. Vide ergo ut diligas *ex toto corde*, mortificans illius passiones; *ex tota anima*, abnegans tuam voluntatem, et amorem proprium; *ex tota mente*, captivans intellectum in obsequium fidei; *ex omnibus viribus*, omnia impendens divinae gloriae.

2. Non solum praecipit ut amemus, sed ipsam infundit charitatem, qua id praestare possimus, inspirans etiam modos ea utendi, ut usu ipse roboretur et crescat. Imo ad hoc datur Spiritus Sanctus, ad hoc Pater et Filius veniunt, et mansionem apud nos faciunt: quid melius, quid securius, quid laetius hac societate esse potest?

3. Invitat etiam praemiis et poenarum interminatione: *Diliges Deum tuum, ut bene sit tibi*, utique et in hac vita, et in altera: hic perpetua mentis tranquillitate, et suavitate, et incremento meritorum; illic augmento gloriae, quae respondet mensurae charitatis. E contrario: *Qui non diligit, manet in morte*, etc. Hi tibi ad amandum stimuli sint; potissimum tamen ama, quia ob bonitatem suam omni amore dignus est, etc.

XIII.

Deum esse misericordissimum.

1. Quia quantum in ipsum est totum genus humanum, quod exciderat a salute aeterna, in aeternam miseriam, et illic merito suo relinqui poterat, paratus est ab ea miseria liberare, et transferre ad aeternam felicitatem: ad quod omnia necessaria media offert et sufficientissimum pretium obtulit; et insuper reipsa innumerabiles ab aeterna miseria liberat, et ad fruitionem boni infiniti et aeterni traducit. Utinam ex eo numero sim!

2. Quia id non facili negotio praestitit, sicut creavit mundum, et beavit naturam angelicam, sed immensis laboribus et doloribus, seipsum dimittendo ad naturae nostrae vilitatem et miserias, ad paupertatem et afflictiones, ad labores et contumelias, ad alapas, flagella, sputa, ad crucem et mortem acerbissimam; denique seipsum relinquendo sub speciebus panis et vini in cibum et refectionem nostram, vere *misericors et miserator Dominus.*

3. Particulatim expende Dei misericordiam erga peccatores, dum hos etsi capitales hostes tolerat, dum inspirat poenitentiam, dum paratus est omnia omnino peccata, quantumvis numero multa, et malitia gravia, statim dimittere; et si castigat temporaliter, facit ut peccatores resipiscant, juxta illud: *Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis.* Imo, quos quodammodo coactus addicit poenis aeternis, punit citra condignum, etc. Tantam misericordiam imitare,

XIV.

Deum esse summe liberalem.

1. Patet ex multitudine donorum naturae et gratiae, et ex eorumdem excellentia, quando inter reliqua seipsum donat. Deinde sine ulla acceptione personarum erga omnes liberalis est, et sine debito facit cum largitur; et quia *bonorum nostrorum non eget*, nullam spectat compensationem aliam quam ut grati simus, qua ad plura conferenda beneficia moveatur.

2. Singulariter vero liberalis est in eos qui vicissim se praestant liberales, tum prompte exaudiendo eorum orationes, quia illi prompti sunt in exequendis ejus mandatis; tum etiam praeveniendo eorum vota, secundum illud: *Antequam clament, ego exaudiam;* tum replendo divinis solatiis, maxime eos qui terrena deserunt; tum in tentationibus et afflictionibus eos confortando, excitando ad heroica opera et virtutes, ut copiosius possit eorum merita remunerare.

3. Cons. e contrario quam nos erga Deum parci simus. Samaritana sitienti et aquam petenti non dedit. Judaei in cruce acetum obtulerunt. Ita nos aut bona non facimus, aut facimus vitiose, ut queri nullo jure possimus si Deum erga nos quoque parcum experiamur, si non exaudiamur, si destituamur solatiis, si in tentationibus tam simus fragiles, etc. Percurram igitur praecepta, consilia, regulas instituti mei, praecepta Superiorum, internas inspirationes, et quaecumque Deo grata perspexero liberaliter et hilariter exequar, etc.

XV.

Deum ubique esse.

1. Non solum est Deus in omni loco creato, juxta illud: *Numquid non Coelum et terram ego impleo? Et si ascendero in Coelum, tu illic es; et si descendero in infernum, ades*, etc.: ita ut nullus omnino angulus in mundo tam abstrusus sit, in quo non sit Deus; verum etiam nullum spatium tam vastum et immensum ab ulla mente creata concipi potest, ubi non sit Deus, et quo ultra se illius immensitas non extendat; imo, si mille milliones mundorum crearentur, hos omnes impleret Deus, neque hoc per partes, ut aër, aut aliud corpus, sed per se totum, ita ut puncto quolibet spatii sit totus. Gaude proinde te illo frui ubique posse, et ubique reverentiam illi habe.

2. Est ubique per essentiam, praesentiam, potentiam, cum omnibus suis perfectionibus et attributis, bonitate, misericordia, justitia, etc., ubique attendens et providens suis creaturis, ubique creans et conservans illas. Quare ubique et in omnibus Deum tuum attende, et ab earum pulcritudine, forma, dispositione, sapientia, bonitate, etc., attolle oculos mentis tuae ad eum per quem et in quo tales sunt.

3. Specialius considera praesentiam Dei in te. Circum te est, ut mare ambiens pisces, ut mater utero prolem claudens, ut ignis accendens, ut lux illuminans. In te et intra te est magis quam anima in corpore, te vivificans, te animans, juvans, roborans; in te, velut in templo suo: quare reverenter eum habe, et huc te reflecte.

XVI.

Deum esse sapientissimum.

1. Cum duo ad sapientiam requirantur, nempe lux intelligentiae et objectum quod intelligatur, Deus utrumque habet a se in gradu eminentissimo, et cum perfectione infinita: nam ipsemet est infinitae intelligentiae lux, per se subsistens, et ipse est ex se omne objectum intelligibile, vel in ipso illud eminenter continetur: quare, seipsum comprehendendo, comprehendit et intelligit omnia.

2. Cum nihil successivum sit in Deo, nullius rei nova notitia accedere potest, ideoque perfectissime scivit ab aeterno quidquid nunc praeteriit, quidquid est et futurum est, imo quidquid futurum esset posita quacumque conditione; adeoque intelligit omnia possibilia, neque ob eamdem rationem eum capere potest oblivio alicujus rei: quidquid a te cogitatum, dictum aut factum est, aut deinceps fiet, scietur in aeternum, et suo tempore cum gloria aut confusione tua ab eo revelabitur. Unde circumspecte tibi agendum est.

3. Sapientiae divinae argumentum est creatio mundi in tanta rerum varietate, pulcritudine, proportione, etc.; deinde opificium hominis tam admirabili structura et compage membrorum, nervorum, ossium, etc.; tanta animae excellentia, vi ingenii quotidie novas artes excogitantis, etc.; denique opus Redemptionis et Eucharistiae, et reliquorum mediorum ad salutem et curam nostram, ut merito te totum illius sapientiae committere possis et debeas, etc.

XVII.

Deum esse omnipotentem.

1. Potest omnia Deus quae potest mens creata concipere, quae prorsus in omni genere et specie sunt infinita, verbi gratia infinitos mundos huic nostro similes, et alios dissimiles, ampliores, perfectiores, etc. Imo potest quidquid ipse sua infinita sapientia potest vel intra vel extra se concipere, quae infinities plura et magis mirabilia quam ea quae possunt concipi a mente creata. Vere *terribilis Dominus, et magnus* vehementer, et mirabilis potentia illius. Hujus igitur praesidiis tibi satis cautum crede, adversus omnes mundi, carnis et diaboli machinationes.

2. Potest omnia summa celeritate, et facilitate, solo nutu voluntatis suae, ut illi facilius sit mille mundos creare quam tibi nomen, mundus, proferre; voluisse, perfecisse est. Unde in necessitatibus tuis utere oratione leprosi: *Domine, si vis, potes*, etc. Praeterea, cum ex te tu nihil possis, ita Deo adhaere ut omnia possis in eo qui te confortat; et cum aliquid potueris, gloriam totam redde auctori Deo.

3. Deus potentiam suam nunc continuo exercet, una cum sapientia et bonitate, quae sunt quasi tres digiti quibus *appendit molem terrae:* nam sapientia disponit, bonitas vult, potentia exequitur; atque haec tria sunt solidum fundamentum, ut in omnibus voluntatem tuam conformes divinae dispositioni, ut optimae et sapientissimae et potentissimae.

XVIII.

De Creatione mundi.

1. Ante creationem mundi nihil erat, nisi solus Deus in se et a se felicissimus, neque ullius rei egens; ideoque non necessitate aut commodo suo, sed sola bonitate sua impellente, et affectu quo creaturis se communicare volebat, mundum creavit: cujus exemplar non aliunde sumpsit, quam a se et sapientia sua. Unde, nihili tui memor, ex quo te tam misericorditer, aliis in suo nihilo relictis, eduxit, te coram illo semper humilis et gratus esto.

2. In creatione apparet potissimum Dei omnipotentia, tum quod ex nulla praecedente materia, sed ex nihilo creaverit, quod solus fecerit, non adhibito Angelorum ministerio in creatione rerum aliarum; quod ex aliis produxerit alia, ut ex aquis volucres, etc., juxta beneplacitum suae voluntatis; denique quod sine difficultate, et sine mora, solo nutu et verbo, *quaecumque voluit fecit*, et *ipse dixit et facta sunt*. Utinam et tu tam tractabilis sis Creatori tuo, ut facias quaecumque vult! etc.

3. *In principio creavit Deus Coelum et terram*: Coelum pulcherrimum et amplissimum, idque non vacuum, sed refertum novem ordinibus Angelorum, quos naturae et gratiae donis ornatissimos creavit, mox etiam donandos gloria, qui in ipso creationis momento se ad Creatorem suum converterent. *Terra autem erat inanis et vacua*, sed pondere suo, vel potius Dei potentia, librata et stabilis. Ita terrenum cor tuum inane, etc., sola Dei gratia stabiliri potest.

XIX.

De opere primae diei.

1. *Dixit Deus: Fiat lux.* Opus fuit luce in mundo: quantamvis enim is perfectionem accepisset, fuisset inutilis sine luce; nam videri ejus pulcritudo non potuisset, et ipse homo ad suas functiones illa indigebat. Deinde lux exhilarat omnia, fovet, et plurima generat in terra. At nobis aeque necessaria est lux spiritualis, qua tenebrae peccati et ignorantiae tollantur, qua Deum et quae nobis agenda sunt cognoscamus, qua recreemur, qua gignantur virtutes, etc. Dic, o Domine, ut in anima mea talis *fiat lux.*

2. *Et facta est lux, et vidit quod esset bona.* Prima die lux facta est, quia nec dies fuisset sine luce; et quamvis potuisset illam creare post alium mundi ornatum, maluit tamen caetera in luce creare, cum etiam in spiritualibus lux interna praecedere debeat omnem actionem. Nihil autem in universo creavit illa die praeter lucem, satis existimans, si diem constituisset; ita tibi bene diem collocatum existima si in luce spirituali profeceris, et in qua sibi aeque Deus atque in altera complacebit.

3. *Divisit lucem a tenebris*, hac in re nostri curam gerens, ut quietis et fatigatis servirent tenebrae. Si in te etiam subinde per adversa et prospera, per desolationes et solatia, etc., dividat lucem a tenebris, tolera patienter, etc.

XX.

De opere secundae diei.

1. *Dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum.* Firmamentum est aër et aether diffusus inter coelum et terram principio creata. Hujus utilitates aëris considera. Substantiae est tenuissimae, ut in eo esse et moveri possemus, ab eo respirationem et vitam duceremus, per illum reciperemus rerum species, colores, sonos, odores; per illum lux et influxus planetarum. in haec inferiora descenderent. Ubique illo frueris, ut, ubique et quoties respiras, memineris Creatoris et Dei tui.

2. *Dividat aquas ab aquis*; oportebat enim discooperiri terram propter germina, et nihilominus irrigari ad foecunditatem: in quem finem Deus in aëre statuit nubes, seu locum nubium, ut inde illas dispenset, provocet et promoveat, juxta beneplacitum Providentiae suae. Inde pluviae, nix, ros, grando, venti, etc., in usum rerum inferiorum, mirabili artificio et vicissitudine; inde solis ardores temperantur, etc.

3. *Vocavitque Deus firmamentum Coelum*, sive ob coloris similitudinem cum orbibus coelestibus, si modo orbes sunt, et perspicuitatem, sive quia firmiter et constanter obit munia a Deo sibi praescripta. Huic compara animam tuam, quae conditione sua mobilis firmari in bono per gratiam potest. Deus autem non approbavit opus hujus diei, quia sequenti primum perfecit; imperfecta autem non probat, etc.

XXI.

De opere tertiae diei.

1. *Congregentur aquae quae sub coelo sunt in locum unum, et appareat arida*, etc. Cons. vim Omnipotentiae divinae. Naturaliter aquae appetebant esse super terram, utpote leviores; nihilominus imperanti paruerunt, idque statim, et ibi intra terminos constitutos se continent: utinam rebellis et superba mea voluntas ita deprimi, et exerceri se intra fines divini nutus et obsequii pateretur!

2. *Appareat arida.* Aperuit illico terra sinus suos aquis recipiendis, indeque orti montes et valles ad terrae ornatum et habitantium commodum. Deinde praeter maria voluit esse Deus varias in terrae visceribus fontium scaturigines, eosque, uti et flumina, licet a salso mari originem ducerent, percolatas dulcescere in usum humanum multiplicem, ad rigandum, ad bibendum, ad lavandum, ad coquendum, ad morbos pellendos. Denique subito siccata est terra ad vocem jubentis Dei, neque ad hoc multorum dierum sole, aut vento urente opus fuit. O siccaret idem Deus in te humores pravarum cogitationum et affectionum, a quibus lutum peccatorum! etc.

3. *Germinet terra herbam virentem, et lignum pomiferum*, etc. Quanta in his varietas et pulcritudo, quam multiplex usus in victu quotidiano, in medicinis, in aedificiis! etc. Credibile est etiam eodem hoc plantatum fuisse Paradisum voluptatis. Ita nihil divina bonitas in usum nostrum omisit, et quid rependimus?

XXII.

De opere quartae diei.

1. Creavit Deus solem, in quo haec attendi possunt: magnitudo, qua terrae globum centies quadragies superat; splendor, quo lumen momento per totum hemisphaerium diffundit; calor, quo omnia vivificat, et productioni rerum omnium cooperatur; motus tam velox, ut spatio viginti quatuor horarum totum orbem obeat; ita temperatus, ut suo accessu et recessu annum, et in eo ver, aestatem, autumnum, hiemem constituat: vere symbolum divinitatis tam expressum, ut aliqui etiam Deum putarint. Tu ex tam perfecta creatura collige Creatoris perfectionem.

2. Creavit Deus lunam, ut, quemadmodum sol diei, ita ipsa nocti praeesset: in quam etiam adverte tum magnitudinem, tum pulcritudinem: deinde quod soli se semper obvertat, ut ab eo acceptum lumen diffundat in inferiora; quod crescere et decrescere videatur pro recessu vel accessu ad solem, quod maximas vires habeat in haec inferiora, etc.: quomodo anima sancta semper respicit Solem justitiae, ut ab eo illuminata radios in proximos derivet, in quibus charitatis operibus, etsi a sole recedere videatur, crescit tamen, sed hoc pacto, ut in consideratione suae vilitatis et nihili iterum accedendo decrescat, etc.

3. Creavit caeteros planetas et stellas, mira varietate magnitudinis, coloris, lucis, motuum, effectuum, etc. Has aemulari stude lumine boni exempli, promptitudine obsequii, et influentiis doctrinae: *Qui enim erudiunt multos, quasi stellae fulgebunt*, etc.

XXIII.

De opere quintae diei.

1. *Producant aquae reptile animae viventis, et creavit Deus cete grandia*, etc. Hac ergo die ad Dei imperium repleta sunt maria et flumina piscibus figura et specie diversissimis, quique numero et magnitudine excederent reliquas omnes animantes, idque ad usum et delicias hominis. Laudla igitur potentiam Conditoris et providentiam.

2. *Et aquae producant volatile super terram sub firmamento coeli.* Cum aqua etiam aër ad avium productionem concurrit, ubi sedes earum erat futura. Agnosce Dei potentiam, sed et amorem erga te, cui, cum tui causa eas creaverit, tum in alimentum, tum ad delicias ob cantus suavitatem et varietatem, etc.; tum ad instructionem, ex artificiosa nidorum constructione et fabrica, ex pullorum cura, ex temporum observatione, ex applicatione herbarum medicarum, etc. Gratias age, et imitare, ut pernix sis in divino servitio; terrena deserens, evoles ad coelestia, judicia Dei praenoscas.

3. *Vidit quod esset bonum.* Conveniebat aquam et aërem, quae erant affinia, repleri: ita Deus charitate conjunctis benefacit; et sicut ex aqua pisces et aves, ita ex hominibus, alii saeculares, alii Religiosi, et ex his activi, alii contemplativi; at saeculares et activi fluctibus et negotiorum mole jactantur, contemplativi his exempti sunt, modo vento vanitatis non abripiantur.

XXIV.

De opere sextae diei.

1. *Producat terra animam viventem*, jumenta, hoc est animalia domestica, reptilia, sive serpentes, et bestias silvestres et feras. Quanta in his varietas formae, virtutis, magnitudinis! quanta in multis sagacitas; ut in elephanto, simia, formica, ad quam piger instruendus a sapiente mittitur! Omnia haec auctoris extollunt potentiam.

2. Ex his commoda humano generi provenientia: ab aliorum carnibus, lacte, sanguine nutrimur; vestimur a pellibus, lana, pilis, serico aliorum; alia serviunt vecturis et oneribus ferendis, alia sunt ad custodiam et defensionem corporum rerumque nostrarum, ut canes, etc.; alia ad valetudinem et medicinas, cui rei etiam utilia serpentium venena; alia denique sunt ad delectationem, ut quae venatione capiuntur. Gratias age tam provido et liberali Deo, tuo et aliorum hominum nomine, quin etiam ipsorum animalium, quae auctorem suum non agnoscunt; et ita te gere erga Creatorem, quemadmodum illa Creatoris jussu erga te: *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum*, etc.

3. *Vidit quod esset bonum.* Quamvis enim aliqua homini inimica sint, id peccati nostri vitio accidit, dum injuriam Creatori illatam vindicant, adeoque bona sunt: saepe etiam viris sanctis et innocentibus sunt innoxia, etc.

XXV.

De creatione Hominis.

1. Creatis caeteris imperfectioribus, tandem postremo creat Deus hominem, reliquis perfectiorem, ut discam mihi non esse in virtutibus deficiendum, sed magis ac magis proficiendum. Creat eodem die quo animalia, ut meminerim humilitatis, et me animalem esse atque sensualem. Creat caeteris absolutis, ut hominem induceret in habitationem suam paratam ornatamque, et ut ostenderet illum esse finem creaturarum aliarum, quarum usu ipse ad finem suum, id est Deum, contendere conaretur. Id age.

2. *Faciamus hominem.* Non dicit: Fiat, aut producat terra hominem; sed, veluti convocato Consilio sanctissimae Trinitatis: *Faciamus*, quasi dubitarent essetne creandus ille quem tam ingratum fore praevidebant, aut ob praestantiam hominis, aut quia anima aliunde quam ex Deo esse non potest. Obstupesce hanc dignationem Creatoris tui, et disce res magnas sine consilio non aggredi.

3. Deus format corpus hominis ex luto, ad humilitatem, ad mortis memoriam, ad omnimodam resignationem in voluntatem factoris sui, ad instillandam confidentiam in eum qui novit opus manuum suarum; denique ad ostensionem suae potentiae, dum ex vili luto tam nobile corpus, talibus ornatum organis et partibus, erecto in Coelum vultu, etc., producit. Responde iis rationibus, etc.

XXVI.

Continuatio.

1. Formato corpore, *inspiravit illi Deus spiraculum vitae*, id est animam per quam illi similis et imago fit: anima enim est spiritualis, invisibilis et immortalis; libera, ut cogi a nullo possit in suis actionibus; habens dominium in res omnes inferiores, quarum proximus est finis; continens in se omnem illarum perfectionem, capax gratiarum et donorum supernaturalium, quibus solis expleri potest; denique similis Deo et sanctissimae Trinitati, etiam ob triplicem potentiam, memoriam, intellectum et voluntatem. Agnosce igitur, o homo, nobilitatem tuam, et ab hac similitudine per brutam conversationem ne degenera.

2. Constituitur homo dominus omnium creaturarum: unde animalia ad usum mactat, iis utitur ad voluptatem et necessitatem; unde etiam Deus ea ad hominem adduxit veluti ad homagium praestandum, et ut ea nominibus insigniret. Etiam in hoc statu dominus constitutus fuit suarum passionum per animalia significatarum, per pisces concupiscentiae carnalis, per aves superbiae, per serpentes avaritiae, per feras irae, etc. Peccatum detestare, quod hoc te dominio privavit, et restaura per passionum mortificationem.

3. Solus Adam creatur, et deinde ex latere dormientis Eva: 1. Ut sciret vir se amandi Dei causa potius quam uxoris gratia creatum. 2. Ut nos, ab uno Patre in terris procedentes, invicem amaremus. 3. Per Evam repraesentatur Ecclesia ex latere Christi, etc., formata.

XXVII.

De conservatione rerum.

1. Conservatio nihil aliud est quam continuata quaedam creatio, a qua sic res omnes dependent ut, sine ullo Dei influxu, statim esse desinerent, sicut lumen sublato sole. Hinc concipe magnam in Deum fiduciam; nihil enim nocere potest ei quem ille conservat. Sed et time illum offendere, a quo sic pendes ut, si manum subtrahat, continuo sis annihilandus. Ama denique sustentantem te.

2. Deus in gratiam hominis caetera creata conservat, coelum, solem, sidera, terram, etc.: ut eorum usu frui possis, nihil unquam annihilat, sed ex corruptione unius producit aliud, ne daemones quidem et peccatores, qui millies in nihilum redigi merentur. Plurima etiam hanc in rem confert occulta beneficia, mala quae nobis acciderent avertendo, stimulando creaturas in obsequia nostra, etc.: ex quibus omnibus gratum et propensum affectum concipiam; et si quid aliis videro mali evenire, credam divino beneficio averti a me; et si quod obsequium conferatur a creatura, prius reflectam ad Creatoris benevolentiam, etc.

3. Deus non solum conservat res ut pergant existere, sed etiam ut operari possint; et sic assistit omnium operationibus, quasi uni soli intenderet, et quidem assistentia infallibili, etc.: sic per ignem te calefacit, per aquam te lavat, per respirationem aëris te recreat, etc., ut momentum non sit quo non plurimis ab illo beneficiis cumuleris. Cave ne hoc concursu in malum abutaris.

XXVIII.

De omnipotentia Dei in justificatione peccatoris.

1. *Haec mutatio* est *dexterae Excelsi,* quando peccator transit a peccato ad gratiam, a morte ad vitam, ab inferno ad Coelum, a filio diaboli ad filium Dei, a bestia ad hominem, a tenebris ad lucem; et si miracula Dei potentiam manifestant, quod majus miraculum quam hic mortuum resuscitari, mutum loqui, caecum videre, audire surdum, ambulare claudum? etc. Cadere potes, anima mea, sed resurgere a vitiis non potes nisi omnipotens Dei manus te erigat. Time.

2. Si patet omnipotentiam in creatione mundi, multo magis in justificatione: in illa recipitur esse naturale, quod minimum est bonorum omnium; in hac supernaturale esse, gratia adoptionis filiorum Dei, participatio essentiae divinae: in illa omnia facilia sunt, nihil Deo repugnat; in hac voluntas humana Deo rebellis domari debet.

3. Modi quibus Deus hanc admirandam justitiam operatur, sunt: 1. Vocationes et instinctus interni, et quidem tum aliquando dati, quando Deum homo actu ipso offendit; semper, quando illius hostis est. 2. Praedicationes, colloquia et lectiones spirituales, exempla aliorum, prosperitates, adversitates juxta cujusque inclinationem. 3. Subinde infundendo tam generosos virtutum habitus, ut vitiosi omnino superentur, etc. Admirare, gratias age, confide; ut te immutet, roga.

XXIX.

De omnipotentia Dei in aliis operibus.

1. In incarnatione Verbi, uniendo res mere disparatas, divinitatem cum humanitate, usum rationis perfectum cum aetate infantili, statum comprehensoris cum statu viatoris, Sanctum Sanctorum cum forma peccatoris, supremum gaudium cum lacrymis et dolore, virginitatem cum maternitate, etc., quae in Incarnatione sunt admiranda!

2. In Eucharistia, quae est *memoria* et compendium *mirabilium* Dei, substantiam panis et vini mutando in corpus et sanguinem, accidentia sine subjecto conservando, existendo in locis plurimis, dum sumptus non consumitur dum totus est in toto, et in qualibet parte; ab effectibus denique admirandis, quos Eucharistia producit.

3. In martyriis et cruciatibus tot Sanctorum, qui sua patientia crudelitatem tyrannorum superant, maxime in sexu femineo et delicato et tenerae aetatis, quae ignes, rotas, et totius corporis lanienam tolerarunt, qua virtute innumeri gentiles ad fidem conversi sunt.

4. In vita Religiosorum, quae est, ex mente D. Bernardi, continuatum et perpetuum miraculum in hominibus coelestibus et Angelis terrestribus: dum se vincunt continuo, mundi legibus adversantur, quanta vis gratiae sit ostendunt. Soli illi divinam potentiam hic agnoscunt, qui viventes consentaneae suae vocationi, illius effectus experiuntur.

XXX.

De Providentia Dei.

1. Providentia est dispositio mediorum per quae res creatae et praesertim homo fines suos consequuntur. Nititur haec Dei scientia, bonitate et potentia: scit enim perfecte fines et media et impedimenta quae occurrere possent, et modum ea applicandi, aut haec avertendi. Providentiae vero nostrae, ob ignorantiam, timidae sunt et incertae. Deinde, ex bonitate sua, optimos fines rebus proposuit, et media adfert opportunissima, etc. Denique, ob potentiam, praestare potest omnia quae ordinavit. Iis igitur quasi tribus digitis mundum sustinet, et me particulatim, ut merito omnem sollicitudinem in illum projiciam.

2. Est tota circa creaturas, cum ipse nullius indigeat; est circa singula etiam minutissima: *Pusillum et magnum ipse fecit, et ipsi cura est de omnibus.* Ipsemet providentiam suam exequitur: etsi enim utatur aliorum ministerio, tamen omnibus adest, unde illius respectu nihil casu evenit. In omnibus hanc ergo Dei Providentiam adora et amplectere.

3. Eadem Providentia mihi est omnia. Dat esse ut mater, gestat ut nutrix, docet ut paedagogus, ut magister, ut consiliarius, ut rector, ut amicus, medicus, judex, pastor; et quaecumque officia a charitate et benevolentia proveniunt, eadem mihi praestat. Quidquid corpori et animae boni obvenit, ab ea proficiscitur; mala autem avertit, aut inde eripit. Quis illi non fidat?

XXXI.

A Providentia Dei gubernari mundum.

1. Deus provide mundum condidit ante hominem, ut illum veluti in domum aedificatam induceret. Creati vero gubernationem sibi reservavit, juxta illud: *Tua, Pater, Providentia gubernat omnia;* et quamvis aliquando ejus partem communicet cum creaturis, ut merito dicatur: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistere,* ipse tamen, ut supremus Gubernator, illos ipsos ministros regit unde, dum ab aliis regeris, in illum potissimum intende.

2. Gubernat vero Deus: 1. Suaviter, dans rebus propensionem ad fines suos, sicut homini dedit inclinationem ad virtutem; et quia videbat illum ab appetitu retardari posse, cum originali justitia et cum ejus dominio illum creavit. 2. Fortiter, stimulando et compellendo, ut velimus quod ipse vult, salva tamen arbitrii nostri libertate. 3. Juste: cum alioqui foret absolutus omnium Dominus, et statuere quidvis posset, nihilominus supplicia et praemia proposuit, redditque pro merito. 4. Utiliter, conservando et promovendo commoda nostra: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Has conditiones imitentur ii qui aliis praesunt.

3. Extenditur haec gubernatio ad omnes omnino creaturas, a supremo Angelo ad infimum vermiculum: nullus capillus perit, nullum folium cadit sine Dei voluntate, quanto ergo magis animae meae curam geret!

XXXII.

A Providentia Dei curari corpori necessaria.

1. De victu et vestitu non debere nos esse sollicitos probat Christus Matth. VI, tum quia qui animae curam gerit non destituet corpus rebus necessariis: *Nonne anima plus est quam esca?* tum exemplo animalium, quae Deus, etsi *non serant neque metant, pascit: Nonne vos plures estis illis?* tum quia qui rebus inanimatis, v. g. liliis providet, non negliget hominem: *Scit enim Pater vester coelestis quia his omnibus indigetis.* Denique ostendit curam quoque inutilem esse: cum enim *nemo possit ad staturam suam adjicere cubitum unum,* neque poterit sine Deo ista sibi providere.

2. Cons. qualis sollicitudo reprehendatur: 1. Superfluorum ad vitam et statum. 2. Si non suo tempore et debito modo, id est cum jactura bonorum spiritualium, aut prae illis, aut per media illicita, aut ad malos fines. 3. Si anxie et cum turbatione, ut Martha, quia est signum inordinati erga rem affectus, et parvae in Deum fiduciae. Si quae diligentia adhibetur, his vitiis carens, non est reprehendenda. Examina te.

3. *Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis.* Hic ostenditur modus quo possimus promereri, ut simus Deo curae. Solliciti ergo simus de regno coelesti et aeterna beatitudine, velut fine nostro; deque justitia et virtutibus, veluti mediis ad illud acquirendum necessariis; et caetera temporalia nobis adjicientur, non praemii, sed auctarii loco. Haec igitur praecipua mea cura sit, etc.

XXXIII.

De Providentia in adversis.

1. Adversitates in rebus externis sunt: jactura famae, honoris, bonorum consanguineorum, amicorum, etc.: undecumque haec accidant, sive injuria nostra, sive aliorum vi et malevolentia, sive casu, ut incendio, vel inundatione, etc., semper ad Dei providentiam referenda sunt, cujus respectu nihil fit casu, sed, si velimus, semper ad nostrum bonum ordinantur: *Diligentibus* enim *Deum omnia cooperantur in bonum.* Et ideo saepe nos Deus istis externis bonis exonerat, ut tanto ad illum simus expeditiores, ut cor ab illis abstractum, illi totum consecremus. O fiat!

2. Adversitates corporis sunt: deformitas, imbecillitas virium, mutilatio membrorum, morbi, etc.: in quibus magna Dei providentia emicat, tum quia corporis dotes plurimis exitio fuerunt, uti de formosis, fortibus et sanis constat; tum quia ista incommoda saepe cedunt in bonum animae, dum sic culpae expiantur, dum domantur passiones; dum virtutes, praesertim patientiae et resignationis, exercentur; dum subtrahuntur peccandi occasiones, et illicia, etc. Tu Deo curam istam committe, et si quid corpori tuo desit, crede occultum esse Dei beneficium.

3. Mala animae sunt aut involuntaria, ut pugna carnis et spiritus, vagae cogitationes, motus inordinati, desolationes et aridi̇tates, etc., sive ea a naturae corruptione, sive a daemone oriantur; quae omnia sunt ad exercitium virtutum, et meritum. Aut voluntaria sunt, ut vitia et peccata,

quae Deus permittit, sive ut quis surgat humilior, cautior et ferventior, sive ut boni a malis exerceantur, sive ad ostensionem divinae bonitatis, aut justitiae, etc.

XXXIV.

De Providentia in orationibus exaudiendis.

1. Oratio est medium a Deo institutum ad obtinenda bona omnia, et avertenda omnia mala, infallibili promissione sancitum ab eodem: *Petite, e accipietis*; et vehementer commendatum: *Petite, quaerite, pulsate.* Est autem medium efficacissimum, quia nititur divina promissione; suavissimum, quia nihil facilius quam petere, et quidem a nostri amantissimo; promptissimum, quia ubique et semper licet; et universalissimum, quia valet ad omnia. Vide quam admiranda, et a consueto naturae cursu aliena, Sancti suis orationibus obtinuerunt.

2. Providentia vero Dei hic in eo consistit, quod concedat petenti utilia, alioquin pari charitate neget; et si res petita non expedit, dat aliquid melius, sicuti Paulo, postulanti ut stimulus carnis a se discederet, dedit gratiam ad vincendum stimulum. Hinc disce etiam tu, cum bona petis, non indignari adversus Deum aut orationem negligere, sed spera te meliora a tam benigno Patre obtenturum, si alia non impetras.

3. Dat etiam opportune, aliquando statim, si expedit; aliquando differt in tempus aliud, vel quia nondum sumus ad accipiendum dispositi; vel ut magis ad orandum nos stimulet, instar parentis oblectantis se filii sui votis et postulatione; vel

ob alias causas illi cognitas et semper nobis utiles. Quare nunquam despondeas animo, sed perseveranter orationi insiste, etc.

XXXV.

De Providentia in custodia Angelorum

1. Cum Deus posset per se custodire homines, voluit tamen ex suo erga illos amore constituere Angelos omnium creaturarum suarum nobilissimos, qui quasi paedagogorum officio fungerentur; et quamvis unus integrae civitati aut regno suffecisset, voluit tamen singulis proprium assignare, non praedestinatis tantum, sed etiam reprobis, quia omnes salvos volebat; idque ab ipso statim conceptu: neque tantum singulis proprium, sed etiam congregationibus, civitatibus, regno cuique suum, qui curam gereret omnium. Angelorum ergo gratia cunctos et singulos reverearis, ama et cave offendere.

2. Officia tutelarium Angelorum sunt mala avertere, etc. (uti plerumque patet in casibus parvulorum sine noxa), et ad bona stimulare; et quamvis bonorum temporalium quoque curam gerant, praecipue tamen de spiritualibus solliciti sunt, ut nos purgent ab erroribus et peccatis, ut nos illuminent suis inspirationibus, ut nos perficiant uniendo nos cum Deo: quam in rem vota nostra et preces illi offerunt, etc. Curae utriusque luculentum exemplum habemus in Tobia, cum quo propterea merito dicere possumus: *Bonis omnibus* per Angelos nostros *repleti sumus.*

3. Cons. quanta voluptate praestent hoc ministerium: 1. Quia ex Dei voluntate est. 2. Ex cha-

ritate erga homines, quos vident tanti a Deo fieri. 3. Quia cupiunt repleri sedes malorum Angelorum. Ex quibus omnibus collige quid tuo Angelo debeas, nempe reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia, etc.

XXXVI.

De Providentia in reparatione hominis per Christum.

1. Providerat Deus Adamo de justitia originali: unde trium malorum erat expers, rebellionis carnis et spiritus, aerumnarum mortalitatis, et impugnationis ab intrinseco inimico: daemon enim aliter tentare non poterat, quam exterius proponendo et suadendo. Quamvis autem hanc Providentiam homo a se averterit per peccatum, non tamen illum Deus deseruit, imo ne labi quidem illum permisisset, nisi modum reparandi scivisset, et habuisset occasionem demonstrandi, effundendique thesauros bonitatis suae, volendo ipsemet esse Redemptor in assumpta nostra carne. Admirare, lauda et ama istam bonitatem.

2. Sicut Christus Adamo praestantior est, ita status reparationis excedit statum innocentiae. In hoc nati fuissemus in gratia, in illo renascimur per Christum in majori, eaque non gratuita, sed debita infinitis Christi meritis. In hoc caruissemus carnis rebellione, in isto vincere illam possumus mercede et gloria ampliore. In hoc miseriae defuissent, in isto sunt materiae exercendarum virtutum, et etiam felicitatis loco habentur, postquam Christus eas experiri voluit. Plus ergo Christus contulit quam potuerit Adam auferre. O felix culpa, quae talem meruit habere Salvatorem!

3. Christus ipse, velut caput nostrum, nos jam gubernat sapientissime, quia omnium gnarus necessitatum nostrarum; justissime, quia peccare non potest, et ad hoc ut justi simus; potentissime, auferendo nos ab inimicis, peccato, diabolo, mundo, etc. Ama, et gubernari te sinas.

XXXVII.

De Providentia in fundatione Ecclesiae.

1. Finis illius fundandae fuit, tum ut a maximis malis, peccato et inferno, liberaremur; tum ut maxima bona, gratiam et gloriam, consequeremur; tum ut esset veluti quaedam domus in qua Deus nobiscum conversaretur, cujus *deliciae sunt esse cum filiis hominum*.

2. Hanc domum quasi columnae septem sustinent: 1. Fides, sine qua impossibile est placere Deo. 2. Lex pura et sancta, praeceptis et consiliis constans. 3. Cultus externus, qui olim variis constabat sacrificiis in unico templo, nunc continet unicum in multis templis. 4. Septem Sacramenta, ad solidum animae robur, et nutrimentum. 5. Exercitatio virtutum, tum theologicarum, tum moralium. 6. Promissiones amplissimae et certissimae, deinde etiam minae et supplicia. 7. Sacra Scriptura, Traditiones. Pro quibus omnibus mihi agendae gratiae, et usus eorum procurandus, si in Christi Ecclesia recte vivere volo.

3. Haec domus est unica, extra quam salvari nemo potest, sicut una arca fuit Noë, et sicut unicus est Deus, et unus finis ultimus omnibus hominibus propositus. Habet unicum ostium, quod est Christus: *Ego sum ostium; per me si quis in-*

troierit, salvabitur. Aperitur illud ostium in baptismo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Aestimabo felicitatem meam, quod in ea sim, et a puero fuerim; et compatiar tot aliis qui, exclusi, erroribus et caecitate tanquam diluvio aliquo obruuntur.

XXXVIII.

De Providentia in vocatione ad fidem.

1. Vocatio est interna illuminatio, seu motio qua homo praevenitur et disponitur ad donum fidei, aliasque gratias recipiendas, ex mera et gratuita Dei benignitate: *Nemo* enim *potest venire ad me,* inquit Christus, *nisi Pater meus traxerit eum;* nullis nostris praeviis meritis, qui nos vocavit, *non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis.* Omnibus tamen offertur ab eo *qui vult omnes salvos fieri,* ut de nullo sit desperandum.

2. Miranda est Providentia Dei totum orbem vocantis ad fidem et Ecclesiam per pauculos piscatores (nam externis etiam mediis utitur), viles, inermes et illitteratos, quod officium deinde ad ipsorum successores propagavit: ex quorum numero cum sis, vide quo pacto munere tuo defungaris. Accedunt miracula, doctrinae, consensio, et aliae notae, quae in testimonium verae fidei et Ecclesiae usque ad nostra tempora constanter perseverant, ut vehementer caecum et pertinacem oporteat esse eum qui non assentiatur. Compatere miseris, et tuis orationibus alioque studio juva.

3. Vocanti porro obsequendum est: 1. Quia vocat nullo suo, sed solius vocati commodo, ut Crea-

tor, ut Dominus, ut Pater. 2. Quia ex maxima miseria erroris et peccati eripere vult. 3. Quia invitat ad summa bona gratiae et gloriae. 4. Quia sine Dei injuria contemni tantum beneficium nequit, et deseri dignus est qui non obsequitur. Tu, cum istud fidei donum sis assecutus, vide ut morem geras vocanti ad ejusdem fidei exercitia, etc.

XXXIX.

De Providentia in Sacramentorum institutione.

1. Videns Deus homines, etiam ad fidem et Ecclesiam vocatos, esse obnoxios multis miseriis et periculis, providit, et instituit Sacramenta, veluti quaedam vasa misericordiae, ex quibus omne subsidium necessarium haurirent. Tollendo peccato originali nimirum servit Baptismus; expiandis actualibus sacramentum Poenitentiae; roborando homini adversus tentationes et hostem invisibilem est Confirmatio; Extrema Unctio idem praestat, et praeterea saepe etiam corporis incolumitatem; Eucharistia, cibi instar, animam confirmat; Ordo est, ne desint qui administrent Sacramenta; Matrimonium, ut fideles bene propagentur, etc. Admirare, gratias age, magni fac Sacramenta, etc.

2. Cons. horum excellentiam: 1. Non sunt egena elementa, ut antiqua, sed gratiam continent et conferunt quam significant, seu sunt signa practica et efficientia gratiae. 2. Ex attrito quaedam faciunt contritum, supplendo defectum contritionis. 3. Dant gratiam ex opere operato, ita ut, praeter gratiam respondentem actibus et dispositioni suscipientis, detur propria ratione Sacramenti. Vide ne obicem huic ponas, sed potius sic ani-

mum praepara, ut quamplurimum gratiae consequi merearis.

3. Eadem Sacramenta sunt obvia, facilia et secura ad salutem media, cum antiquae legis fuerint molesta, ut circumcisio; aut sumptuosa, ut oblationes et hostiae pro peccato, etc.

XL.

De sacramento Eucharistiae.

1. Amabilis fuit Dei erga Adamum providentia, quando, praeter tot alias arbores quibus refertus erat Paradisus, dedit etiam lignum vitae, quo cavere mortem poterat. Sed longe amabilior et magis admiranda est illa qua nobis proposuit venerabilem Eucharistiam, cum illa promissione, ut *qui eam manducet, vivat in aeternum:* in ea enim Christus sumitur, qui est *via, veritas et vita.* Unde potius similis est ligno coelesti, de quo Joannes, quod *reddit fructus duodecim per singulos menses,* nam sumpta parit in nobis duodecim fructus spiritus, charitatem, pacem, patientiam, etc. Unde ergo tu, post tot communiones, tam sterilis, tam infirmus, tam fere mortuus? nimirum a mala dispositione.

2. Confer cum providentia qua Deus dedit mannam filiis Israël in deserto peregrinantibus. Manna de coelo descendebat, Angelorum virtute formata; hic panis a Spiritu Sancto paratus est in utero Virginis. Manna mola frangebatur, et coquebatur; Christus laboribus attritus et tormentis excoctus est. Manna a morbis praeservabat; hic panis etiam a morte, nisi indigne sumatur. Manna omnium saporum delicias habebat, hic omne dele-

ctamentum suavitatis, faciendo ut omnes virtutes nobis sapiant. Mensura collectae mannae erat omnibus eadem; in Eucharistia tantum est sub fragmento, quantum toto tegitur, etc. Manna colligi debebat ante solis ortum; Eucharistiae primae diei cogitationes offerendae, maxime quando communicandum. Ex manna Deus aliquid in arca servari voluit ad memoriam: idem fac post communionem, recolendo beneficium, etc.

XLI.

Cur sub speciebus panis et vini.

1. Cons. divinam Providentiam elegisse has species, tum ut ostenderet maxime uniri se velle iis qui communicarent, simili nimirum unione, qualis est inter alimentum et alitum, quae est maxima; tum ut disceremus eosdem produci effectus in anima per sanctissimam Eucharistiam, quos cibus et potus operantur in corpore, illud conservando, augendo, roborando, delectando, damnum caloris nativi restaurando, transeundo denique in ejus substantiam; tum ad docendam perfectam unionem charitatis inter fideles, sicut panis ex pluribus granis, et vinum ex pluribus uvis coalescit. An hoc experiris?

2. Suffecisset unica species, cum sub una totum corpus et totus sanguis Christi contineantur: voluit tamen utramque panis et vini, tum ut perfectum foret convivium, uti cibus et potus; tum ut nobis repraesentaretur realis separatio sanguinis in passione facta per diversitatem specierum. Adora tantam Dei profusionem, et in eum esto liberalis.

3. Cur autem voluerit transsubstantiationem

panis et vini in corpus et sanguinem suum imperceptibiliter, ita ut nullo sensu ea adverti possit, causae sunt: 1. Ut relinqueret nobis continuum humilitatis exemplum, dum non jam ad naturam humanam, aut formam hominis, sed ad speciem bucellae panis se demittit. 2. Ad exemplum patientiae, dum ista vili specie tectus non agnoscitur, sed contemnitur, et vilipenditur a multis. 3. Ad exercitium fidei nostrae, quam hic profiteberis sensibus nequidquam reclamantibus.

XLII.

De Eucharistia, ut est memoriale mirabilium.

1. Mirabile in Eucharistia est, quod accidentia separentur a substantia panis et vini, et sine illa conserventur. Disce sensualitatem separare a spiritu, et cor tuum abstrahere a creaturis, et soli Deo inniti.

2. Quod sub speciebus panis et vini, veluti velo quodam, lateat totus Christus, Deus homo, cum divinitate, cum sanctissima Trinitate, per concomitantiam, cum omnibus thesauris sapientiae, bonitatis, liberalitatis et potentiae Dei, etc., in symbolum humiliationis.

3. Quod tota substantia panis et vini sic mutetur in substantiam corporis et sanguinis Christi, ut tamen nulla mutatio appareat. Si mutatus es ex carnali in spiritualem, etc., fuge tamen speciem et affectationem externam, nisi proximi aedificatio exigat.

4. Quod accidentia separata idem operentur quod pani et vino conjuncta: confortant, recreant, nutriunt. Ita saepe animae a creaturis abstractae et

soli Deo innixae sua ordinaria officia non negligunt, sed aliis etiam melius exequuntur.

5. Quod totum corpus et sanguis, quem Christus habet sedens ad dextram Patris, sit hic sub accidentibus modo quodam spiritali, totus in totis speciebus, et totus in qualibet illarum parte, ita ut humanitas non videatur carne et corpore constare. Ita tu non secundum carnem, sed secundum spiritum vive.

6. Quod Christus, tot locis positus in terra, non desinat esse in Coelo, quin quovis loco etiam vili collocari se sinit per consecrationem. Disce ita versari in terris, ut cor in Coelo habeas, et ad quaevis loca et munia Deo te offer, etc.

XLIII.

De Eucharistia, ut est memoriale Passionis.

1. Voluit Christus convivium esse memoriale amarae Passionis: 1. Ut bonitatem et charitatem suam nobis demonstraret, dum sibi amara, nobis propinat dulcia, uti parentes solent infantibus, et subditis, qui bene praesunt. 2. Ut disceremus fuisse illi instar convivii, pati pro nobis; unde dies illa vocatur *dies desponsationis et laetitiae* (Cant. III, 30), ut commendaret nobis suavitatem legis suae. 3. Ut sua bonitate nos accendat ad amplectenda amara, ut illi conformemur. Erubesce vero quod suavibus tantum inhies.

2. Voluit ipse esse memoriale, etsi sufficisset panis et vinum, sicut aqua baptismi repraesentat sepulturam: 1. Ut aestimaremus magnitudinem ejus beneficii quo pro nobis mortuus est, cum ipse velit illius memoriam nobis refricare. 2. Ut osten-

deret se paratum saepius pro nobis mori, si res ferret, uti vult quotidie incruente immolari. 3. Quia non sufficiebamus agendis gratiis, ipsemet supplere voluit: unde dicitur Eucharistia. Disce quotidie et semper mortificationem Jesu in corpore tuo circumferre.

3. Voluit sub speciebus panis et vini: 1. Quia utrumque conficitur ex pluribus granis, et acinis contritis et pressis, sicut ipse in Passione attritus et pressus fuit. 2. Ut quemadmodum in baptismo per immersionem significatur ejus sepultura, ita per comestionem, et demissionem in stomachum repraesentarentur ejus tormenta, mors et sepultura. 3. Ut disceremus conterere cor nostrum dolore peccatorum. 4. Ut tam familiariter recordaremur Passionis ejus, quam meminimus panis et vini.

XLIV.

De Eucharistia, ut est signum et causa gratiae.

1. Christus in aliis sacramentis per creaturam meram, uti est aqua vel oleum, etc., gratiam et sanctificationem confert, hic per sese. Sic nimirum medicus est, ut ipsemet applicet medicinam; sic mater ut per se lactet infantem; sic Redemptor, ut sua manu pretium redimendo captivo et mancipio porrigat; sic Rex invitans ad convivium, ut ipsemet sit cibus et conviva. Quis non colliquescat ad hoc amoris incendium? quis non redamet sic amantem?

2. Expende particularius gratias quae hic conferuntur: 1. Est incrementum fidei, ob nova lumina intellectus, uti illum cognoverunt Discipuli in fractione panis; et qui propius ad solem acce-

dit, melius illuminatur. 2. Augmentum spei: qui enim donat quod majus est, minora non negabit; et qui dat seipsum, dabit quoque dona sua; qui arborem largitur, fructus non abnuet. 3. Incrementum gratiae et charitatis, fervoris et bonorum operum, donorum Spiritus Sancti et virtutum infusarum longe munificentius quam in sacramentis aliis, uti cum rex sua manu eleemosynam impertit. 4. Fortitudo et robur adversus hostes nostros, adversus passiones, et carnem et daemonem: debellavit olim ista omnia, quidni praesens nunc idem praestet? 5. Nutrimentum et satietas spiritualis: quem Deus non satiat, nescio quid illum explere possit! 6. Intima unio Christi cum anima, quanta haberi in hac vita mortali potest, non moralis tantum et metaphorica, sed realis, dum alimentum transit in substantiam aliti. Gratias age de donis omnibus, maxime de tali unione. Istos effectus pete, etc.

XLV.

De Eucharistia, ut est pignus futurae gloriae.

1. Eucharistia vocatur pignus gloriae, quia continet in se aliquid valoris infiniti, et ipsi gloriae aequivalens, nempe Filium Dei, Deum et hominem: hinc ex pignore collige gloriae quam expectas excellentiam: cum enim nihil praestantius sit Christo, quid concipere potest majus aeterna gloria, cujus ipse tibi pignus datur? et certissime spera te promissam gloriam obtenturum, cum habeas ipsius gloriae haeredem. Ama etiam talis pignoris largitorem.

2. Ita est pignus, ut simul ducat ad gloriam

per media securissima, quae hic reperiuntur: 1. Est remissio peccatorum admissorum, cujus nota est, quod mensae suae te adhibeat. 2. Praeservatio futurorum; nam Eucharistia minuit concupiscentiam et fraenat passiones quae fomites sunt peccatorum, robur addit adversus tentationes, illuminat intellectum ut agnoscat foeditatem peccati, inflammat affectum ad Dei amorem, etc. 3. Est conservatio gratiae: uti valetudinem corporis cibus conservat, sic animae Sacramentum. 4. Est perseverantia usque ad mortem: gratiam enim tam efficacem hic consequimur, ut cum continuo sui incremento deducere nos possit ad gloriam. 5. Est unio cum Christo, quae jam est quaedam gloriae inchoatio.

3. Pignus dicitur, quia idem hic exhibetur quod in gloria, etsi alio modo pro conditione viatorum: nempe sub imagine et velo specierum panis et vini Deus, qui est objectum beatitudinis, proponitur. Admirare divinam bonitatem, et magna esto in Deum fiducia; non enim frustra tibi pignus hoc concessum est, modo bene illo utaris, etc.

XLVI.

Eucharistiam esse scholam virtutum.

Christus in Eucharistia, velut cathedra, Magister est:

1. Humilitatis, dum occultat omnes suas perfectiones, tum divinas, tum humanas, nihil prae se ferens nisi vilia accidentia panis et vini, rerum inanimatarum: unde a pluribus contemnitur, injuriis afficitur, etc.

2. Obedientiae, dum ad vocem hominis, saepe peccatoris, se sistit: permittit se illius manibus

tractari, moveri, transferri, quovis loco collocari, etc.

3. Fidei, quia, etsi ille nullum fidei actum exercere potuerit, utpote cui Deus et omnia mysteria semper fuerint clare et manifeste cognita, voluit nihilominus esse in venerabili Sacramento ut nos hanc virtutem exerceremus corporeis oculis nostris, tum quoad divinitatem quam humanitatem invisibilis: unde etiam hoc mysterium fidei appellatur.

4. Spei et fiduciae in Deum, dum hic offerri se sinit pro nobis, qui noster mediator est, et cujus intuitu Deus Pater nihil potest negare; dum hic merita Passionis, quae praecipuum est spei nostrae fulcimentum, applicantur; quia denique qui nobis dat Filium suum, quomodo non omnia nobis donabit cum illo?

5. Amoris proximi, dum illi semper adest, illum poscit, ejus causa quodammodo consumitur.

6. Mortificationis, dum sensuum corporeorum officio non utitur, utpote modo spirituali existens, dum non suo, sed sacerdotis arbitrio quasi regitur.

7. Amoris Dei, dum sic esse vult ad eum placandum hominibus, ad gloriam illius ampliandam, ad juge et caeteris omnibus gratius sacrificium, etc.

XLVII.

Eucharistia esse speculum divinarum perfectionum.

1. Elucet in illa bonitas, cujus proprium est sese aliis communicare: et quae communicatio potest major esse, quam ubi tota Trinitas, divinitas, humanitas Christi, anima, corpus, sanguis et omnia illius merita nobis donantur? idque ex nullo debito

aut necessitate, aut spe commodi, sed mera nostri boni gratia.

2. Hinc apparet etiam amor Dei in homines: tantum enim donum sine amore donari non potest. Accedit unionem affectari hic quasi substantialem, qualis est alimenti cum alito, omnibus utique et semper usque ad finem mundi prompta et parata.

3. Elucet Dei omnipotentia in transsubstantiatione, in separatione et conservatione accidentium sine subjecto, in modo quo corpus existit spiritualiter, quod simul in locis diversis, quod sumptum non consumitur, etc.

4. Apparet sapientia Dei reparantis hominem per esum, qui per esum perierat, et quidem cum lucro insigni gratiae majoris quam fuisset in statu innocentiae, et ampliorum meritorum, et consequenter gloriae.

5. Misericordia Dei hic patet, dum gnarus miseriarum nostrarum, tamen ad nos descendit, quasi melius illas inspecturus; et ut coram remedium adhibeat, neque ab una tantum, sed ab omnibus nos liberat, aut illas avertendo aut ab aliis nos eximendo, etc.

6. Justitia, secundum illud: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Et considera quam merito Deus male communicantibus indignetur.

7. Elucet fidelitas Dei in promissis: promiserat olim et multis figuris praesignarat hoc sacramentum, dedit et quidem in pignus vitae aeternae, etc.

XLVIII.

De Providentia Dei in assignatione status.

1. Paterne etiam Deus cuivis providet de statu accommodato, modo regi se quis sinat: nam non quidvis cuilibet convenit; et sicut sunt in corpore diversa membra, ita in Ecclesia et Republica civili varii status existunt. Alii sunt ut caput ad regendum, alii ut oculi qui doctrina eminent, alii pectus in vita contemplativa alii manus in activa, alii pedes, qui vilioribus artibus ministeriisque deputantur. Ergo qui certum statum non habet, ad Deum confugiat; qui vero habet, se in eo salvari posse confidat.

2. Providentiae divinae suavitas attenditur in eo quod varias hominibus indit propensiones ad diversa, ut nunquam desint qui sponte amplectantur conditiones quantumvis molestas et difficiles, ne aliquid in publicum bonum desideretur: quo in genere est servitus aulica, a quo etiam taedio affecti recedere non possunt, etc. Quod si proponat aliquando aliquid a naturae inclinatione alienum, mitigat illud internis suavitatibus, uti evenit in statu religioso; aut ratione sic persuadet, ut inspirata lux vincat naturae repugnantiam. Unde merito tota dispositio divinae Providentiae committenda.

3. Media quoque Deus providet statui opportuna. Sic, cum Moyses elegisset adjutores regiminis, dictum est: *Auferam de spiritu tuo, tradamque senioribus septuaginta*, etc. Quare cum onere simul virtus duplicatur; et sicut periculosum sine Deo statum amplecti, sic, ubi ex ejus

voluntate aliquem inieris, ne de ejus subsidio despera, et cogita in statu tuo plurimos salutem consecutos: quidni et tu?

XLIX.

De Providentia Dei circa statum Religiosum.

1. Ob varios fines Deus hunc statum instituit: 1. Ut esset schola perfectionis, quae in charitate Dei et proximi consistit. 2. Ut esset schola imitationis Dei et Christi, in perfecta praeceptorum et consiliorum observatione. 3. Ut esset civitas refugii a mundi periculis. 4. Ut esset locus deliciarum quo divertat Deus, cujus *deliciae sunt esse cum filiis hominum.* 5. Ut esset veluti *lucerna super candelabrum* et *civitas supra montem posita*, ad exemplum virtutis. 6. Ut foret officina meritorum, et ubi ampla seges gratiae et gloriae colligeretur.

2. Voluit autem varia esse Religiosorum instituta: quia, cum plurima sint officia charitatis, non potuit una in omnibus excellere; deinde, cum Christus sit perfectissimum omnium virtutum exemplar, non potuit per omnia exprimi ab una religione; et dum haec in uno virtutis genere, alia in alio excellit, redditur Ecclesia Regina amicta varietate. Denique sunt hominum vires et propensiones diversae, ut oportuerit modos quoque proponi diversos assequendi perfectionem. Tu de tua tibi gratulare, et da operam ut in ea excellas.

3. Vocatio ad hunc statum *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*; non vocantur omnes, quia non est status ad salutem necessarius; non ex merito, sed ex gratia: unde relictis

optimis, saepe vocantur imperfectiores; et Deus vocando non solum spectat utilitatem vocati, sed etiam religionis commodum: quare periculosissimum est reniti, aut non digne vivere vocatione sua.

L.

De bono statu Religiosi.

1. Aestimari istud potest consideratione malorum et periculorum quae sunt in statu saeculari mundanoque, ubi plerique serviunt concupiscentiae oculorum, concupiscentiae carnis et superbiae vitae; ubi obviae peccandi occasiones, ubi prava consortia, ubi pessima exempla; ubi vitiorum non tantum impunitas, sed etiam gloriatio; ubi virtutum irrisio et contemptus, etc., ut salutem consequi sit difficillimum. Atque his malis omnibus liberi sunt Religiosi, et, quasi de statione securissima, miserias, casus, naufragia spectant mundanorum.

2. Cons. tria bonorum genera excellenter in statu religioso reperiri: honestum, ob continuam virtutum exercitationem; delectabile, ob gaudium in Spiritu Sancto, et pacem animi, *quae exsuperat omnem sensum;* utile, ob media ad salutem consequendam promptissima. Deinde Christus iis qui reliquerunt omnia, etc., ut sunt Religiosi, triplicem mercedem promittit: 1. *Centuplum* in hac vita, non solum quod spirituales consolationes quamplurimum terrenis praestent, sed quod reipsa, pro una domo relicta, pro uno patre, etc., adipiscatur quasi jus aliquod ad omnia Ordinis sui domicilia, cui omnes Superiores sint patres, etc. 2. *Vitam aeternam:* unde hic status inter signa praedesti-

nationis numeratur. 3. Jus caeteros judicandi: *Sedebitis et vos*, etc.

3. Expende haec D. Bernardi: « In statu Religioso homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, praemiatur copiosius. » Gratulare ergo tibi quod tantorum bonorum sis particeps, modo vita tuo statui respondeat.

LI.

De electione Sanctorum ad gloriam.

1. Deus ab aeterno cupidus communicandi cum hominibus summum et inaestimabile gloriae bonum, permotus sive mera sua bonitate, sive intuitu cooperationis illorum, et meritorum (quae tamen ipsa etiam ab illius bonitate promanant), elegit quosdam ad hanc gloriam, et quasi sacra vasa esse voluit, in quae suarum abundantiam gratiarum infunderet, ad ostensionem infinitae suae misericordiae. Admirare, conferendo hominis vilitatem cum hujus boni excellentia; Electis gratulare, quin et tibi, cui haec quoque parata gloria est.

2. Deus, ut hoc decretum mandaret executioni: 1. Creavit illos in tempore, quos ab aeterno elegerat, aliis in suo nihilo relictis. 2. Efficaciter vocavit ad fidem, baptismum et Ecclesiam, relictis aliis in sua infidelitate. 3. Si lapsi sunt in grave aliquod et mortiferum peccatum, eos amanter revocavit, et impulit efficaciter ad poenitentiam, alios relinquens in peccatis suis. Nimirum utitur Deus supremi dominii potestate, et, dum illis be-

nefacit, non facit aliis injuriam. Spera te esse ex numero Electorum, quandoquidem te creaverit, vocaverit, non tantum ad fidem, sed etiam ad religionem, et tot media poenitendi tibi largiatur.

3. Deus ex vi illius decreti magna auxilia Electis contulit: 1. Praeservavit a multis peccatis et tentationibus. 2. Praevenit benedictionibus, gustu affectuque rerum divinarum. 3. Obtulit occasiones exercendarum virtutum. 4. Providit illis de statu vitae ad salutem commodo. 5. Finalem denique gratiam dedit in morte. Pete eadem, etc.

LII.

Quomodo Sancti huic electioni responderint.

Sancti ex parte sua corresponderunt divinae vocationi, acceptis gratiis optime utendo, et contendendo ad sanctitatem per actus virtutum qui ad tria referuntur, his Christi verbis comprehensa: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*

1. *Abneget semetipsum.* Sancti 1. Seipsos ingenti et glorioso odio prosecuti sunt. 2. Peccata sua, si quae admiserunt, vehementi dolore et acerbis poenitentiis expiarunt. 3. Qui a majoribus culpis fuere liberi, minores defleverunt, vitarunt peccandi occasiones, domuerunt appetitus suos, *carnem suam crucifigentes cum concupiscentiis*, et, ut magis Christum referrent quinque confixum vulneribus, crucifixerunt 1. sensus inordinatos, 2. rebelles affectus, 3. propriam voluntatem, 4. imaginationis et judicii libertatem, 5. amorem etiam proprium in rebus licitis, ne ad illicita prolaberentur.

2. *Tollat crucem suam.* Quod fecerunt: 1. Generose resistendo inimicis, tum visibilibus, tum invisibilibus. 2. Labores et dolores aequo laetoque animo sustinendo. 3. In cruce usque ad mortem perseverando.

3. *Et sequatur me.* Secuti sunt Christum: 1. Per imitationem vitae et virtutum illius. 2. Nunquam erubescentes facere et pati quae ille fecit et passus est, imo erubescentes si ea non facerent aut paterentur, cum summum in ea similitudine decus collocarint. Haec certa ad Coelum via est.

LIII.

De magnitudine gloriae coelestis.

1. Gloria illa est status bonorum omnium aggregatione perfectus, in quo nulla mala culpae aut poenae, et omnia bona quae desiderari possunt, et majora quam possint a nobis concipi: *Non* enim *in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus diligentibus se;* et status ille aeternus est, securus et absque metu, immutabilis sine diminutione, satians sine fastidio, contra quam est status hujus vitae, quantumvis felix videatur: *Noli ergo thesaurizare in terra,* etc.

2. Aestimetur a loco, qui: 1. Est amplissimus, et cujus respectu tota terra vix puncti vicem occupat. 2. Est lucidissimus, quem nulla nox, nullae nubes obfuscabunt. 3. Est temperatissimus, sine vicissitudinibus frigoris et caloris. 4. Est firmissimus et tutissimus, sine metu ruinae. 5. Est amoenissimus: si enim terrestris Paradisus et nonnullae regiones hic tot deliciis abundarunt, quid

continebit coelestis illa regio? Vere *dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.*

3. Cons. qualis istic sit societas et consortium Angelorum et hominum: 1. Numerus est innumerus. 2. Omnes tamen inter se noscunt, et conversantur familiarissime. 3. Omnes sunt nobilissimi, formosissimi, prudentissimi, optimi. Illic granum sine palea est, semen sine zizaniis, rosa sine spinis, boni sine malis. 4. Illic maximus ordo sine confusione, praerogativa gloriae sine aemulatione, dum quisque sua contentus est. 5. Illic mirus amor mutuus, et concordia, etc. Hoc stude jam nunc tibi obligare, etc.

LIV.

De gloria animae beatae.

Ut ferrum candens ab igne, sic a Deo anima occupatur. Unde:

1. Memoria ab ejus summi boni recordatione avocari non potest, ut Deum non continuo recolat; deinde semper obversantur accepta beneficia, eaque innumera, singula cum omnibus circumstantiis clarissime occurrunt. Nihil vero meminit eorum quae possent affligere; ipsa malorum praeteritorum toleratorumque recordatio, quin et peccatorum aliquando admissorum, ingentem affert laetitiam, dum videt haec poenitentiis esse expiata, et illis hanc quietem successisse.

2. Intellectus, secluso omni dubio, errore et ignorantia, clare intuetur Deum, ejus essentiam, personas, attributa, mysterium Incarnationis, etc. Videt arcana divinorum consiliorum circa mundi administrationem, peculiares providentias quibus

ad hanc beatitudinem deductus est, cum ineffabili admiratione, et amoris argumento; denique Deus illi manifestat quidquid rationabiliter scire appetit.

3. Voluntas intime Deo adhaerescit per amorem continuum, indefectibilem, qui omnes amoris gradus complectatur, ut sit filii, sponsae, amici, etc.: unde ineffabile gaudium, quo anima inebriatur. Unde peccandi impossibilitas, et virtutum, quarum ista gloria capax est, summa rectitudo et intensio. Dole quod hisce nunc potentiis tam male utaris; quin potius hic ad illa praelude, etc.

LV.

De gloria corporis beati.

1. Corpus quod servit animae, et juvat ad virtutum actiones, non caret sua mercede, sed cum illa etiam gloriam et beatitudinem adipiscitur: cum enim corpus, quod animae servivit ad peccandum, aeternis suppliciis addicatur, quis non videt illud, quod cooperatum est ad virtutem, una cum anima esse glorificandum?

2. Cons. quatuor dotes corporis gloriosi: 1. Est claritas: *fulgebit* enim *sicut sol;* membrorum proportio, figura, color, et nitor erit admirabilis, maxime earum partium quae Dei causa plus tolerarunt. Erit etiam diaphanum, internis omnibus membris veluti per crystallum transparentibus. 2. Impassibilitas, et immortalitas, qua fiet incapax famis, sitis, aliorumque incommodorum, neque ab ullo extrinseco laedi poterit. 3. Agilitas, ut, quocumque libuerit, celerrime transferri queat. 4. Subtilitas, qua penetret quidvis instar spiritus, ita ut plura eodem loco esse possint.

3. Cons. gloriam sensuum: visus, ex aspectu tot glorificatorum corporum, maxime Christi et B. V.; auditus, ex Angelico concentu, ex laudibus Dei, ex mutua conversatione; odoratus, ex fragrantia corporum, et praesertim Christi; gustus, ut absque cibis omne delectamentum suavitatis percipiat, siquidem id manna potuit; tactus toto corpore perfusus purissimo sensu perfruetur. Spe igitur tantae mercedis, solare hic corpus tuum, et sensus, imo per continuam mortificationem ad eam gloriam deliciasque dispone, etc.

RENOVATIO

SUB INITIUM CUJUSQUE MENSIS INSTITUENDA

Universim considerentur.

1. Beneficia peculiariter tibi a Deo praeterito mense collata, tum in admirationem bonitatis illius, ei reciprocum amorem excitandum, et gratiarum actionem; tum in confusionem ingratitudinis tuae, ut qui hactenus tam parum immensae illi misericordiae responderis.

2. Percurre vitia, imperfectiones et negligentias adversus Deum, Superiores, fratres, proximum et teipsum admissas, ut detesteris et corrigas.

3. Vide an ab ultima renovatione profeceris, an vero defeceris, et unde hic vel defectus vel profectus proveniat, ut vel eadem ratione profectui insistas, vel opportunis mediis occurras defectui.

4. Vide etiam utrum aliqua tentatio vel passio animi tibi peculiariter fuerit molesta, et quibus ex causis aut occasionibus, et propone seriam illi superandae curam adhibere, implorata ope Dei, Beatae Virginis, et singularis Patroni ad hoc electi.

Atque hisce considerationibus, non tantum horam Meditationis matutinam, sed etiam aliquid reliquae diei huic renovationi destinatae impendes.

Ne vero eadem saepius iterata fastidium pariant, subjicio, pro numero mensium, duodecim sententias ex sacra Scriptura desumptas, quae huic proposito poterunt deservire.

I.

Dispone domui tuae, quia morieris tu, et non vives (*Is.* XXXVIII).

1. Denuntiantur haec regi Ezechiae, qui dicere potuit: *Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim.* Quid dicere tu posses, si idem tibi denuntiaretur?

2. *Flevit* ille *fletu magno, et convertit faciem suam ad parietem*, et: *Recogitabo*, inquit, *tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Quanto tu jure aequiori fleres, et averteres te a rebus vanis et delectabilibus!

3. Forsan hic annus, hic mensis ultimus est, tibi qui a Deo conceditur. Vide quomodo velis in eo disponere domui tuae, hoc est, ita rationes tuas supputare, ut mors non adoriatur imparatum: quod fecisse tunc velles, fac hoc mense; et quod fecisse nolles, omitte.

II.

In terra Sanctorum iniqua gessit: non videbit gloriam Dei (*Jer.* XVIII).

1. *In terra Sanctorum*, in sancta Societate Jesu, ubi ratione vocationis, ratione Instituti sanctissimi, ratione tot sociorum qui omnium virtutum et sanctimoniae exempla praebuere, et praebent;

ubi tot, et tam facilia, et certa ad perfectionem media, nihil boni, quin imo.

2. *Iniqua gessit:* o quae et quanta! Si probrum est inter bonos bonum non esse, quid erit esse malum? Unicum in Coelo peccatum patravit Lucifer, et detrusus est; unicum Paradiso Adamum ejecit; cadaver mare non sustinet, et terra illa Sanctorum hactenus te sustinuit; sed forte non amplius sustinendum, nisi mutes vivendi rationem, etc.

3. *Non videbit gloriam Dei:* carens pace conscientiae, veluti extra centrum suum, idest Deum, rationem et virtutem, constitutus; carens solatiis internis, et gustu rerum spiritualium; carens spe praemii et gloriae, tum ob propria demerita, tum ob scandalum quo alios pervertit, etc.

III.

Dixi: Nunc coepi; haec mutatio dexterae Excelsi (*Psal.* LXXVI).

1. Opus est tandem forti et serio animi decreto, ne aliquod pravum exemplum, ne modica irrisio, ne respectus humanus, ne aliqua carnis molestia, aliquis daemonis insultus, etc., me rursus a bono avertant. *Dixi.* Ratum est, nolo demum esse, ut fui, pigro similis, qui *vult et non vult.*

2. *Nunc coepi.* Proposita executioni mandanda sunt, ideoque praevideri occasiones et quidem particulares debent eorum exercendorum, et obfirmandus animus; et an non tempus est, post tot annos, tandem nunc incipiendi?

3. *Haec mutatio dexterae Excelsi.* Singularis in Deum collocanda fiducia est, sine quo nihil pos

sum: possum autem omnia in eo qui me confortat, et confortare paratus est. Hujus fiduciae signum erit, fervens ad eum in omnibus recursus.

IV.

Jam securis ad radicem posita est (*Matth.* III).

1. Sanctus Christi Praecursor monuerat Judaeos agendam esse poenitentiam, idque spe praemii: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum Coelorum.* Sed illi, carnalibus terrenisque voluptatibus dediti, coelestium affectu non tangebantur. Vide an non sis ex eodem numero, cum Coeli gratiam tam parum hactenus feceris.

2. Quare metu poenae eosdem percellere conatur: *Securis ad radicem posita est*, non tantum ad putandum, sed prorsus exscindendum parata. Quam merito timere potes ne idem tibi eveniat, qui patientia et longanimitate Dei tamdiu abusus es!

3. Si succidi nolis, pone ipse securim ad radicem tuarum imperfectionum, non ad ramos, qui excisi facillime repullulant quamdiu radix est integra. Quaere ergo radicem illam, et securi mortificationis exscinde.

V.

Succide arborem, ut quid etiam terram occupat? (*Luc.* XIII).

1. Plantavit te Deus in pomario Religionis, ut dignos fructus ferres, quos a te merito exigit: nempe studium salutis propriae, et alienae; puram intentionem ad Deum, obedientiam ad Supe-

riores, charitatem ad fratres, humilitatem ad teipsum, etc.

2. Perpende quales et quam bonos fructus alii in eodem tecum pomario proferant; et si forte eos foliis tegant humilitatis, inspice fructus eorum qui jam folia deposuerunt, sanctorum Ignatii, Xaverii, Aloisii, Berchmanni, etc

3. Cogita quam turpe sit in eodem fundo, eadem cultura, iisdem oblatis mediis, non producere fructus eosdem, imo sterilem non tantum esse, sed etiam vicinis arboribus mali exempli umbra nocere: ut mirum non esset, si aliquando haec a supremo Hortulano ferretur in te sententia, succidereris et locum alteri cederes, fructum meliorem facturo.

VI.

Terra venientem super se bibens imbrem, producens autem tribulos et spinas, reproba est, et maledicto proxima (*Hebr.* VI).

1. Imber est divina gratia, quae tibi hactenus copiose affluxit, vocando te ad Religionem, in eadem misericorditer conservando, insinuando bonos affectus, offerendo virtutum exercendarum occasiones; quibus accesserunt tot monita Superiorum, tot sociorum exempla, etc.

2. Quem hinc fructum protulisti? tribulos et spinas, tribulos tibi, spinas aliis; tibi acerbum animi et conscientiae remorsum, aliis dolorem et afflictionem. Quousque ista, quae et alios excruciant?

3. Sicut praedestinationis signum est inter malos bene vivere, ita vide ne signum reprobationis, qudo inter bonos vivas non bene; et mature, dum adhuc tempus est, provide.

VII.

Non invenio opera tua plena coram Deo (*Apoc.* II).

1. *Non invenit* qui arcanorum tuorum testis est et arbiter, Angelus custos, neque Deus qui corda scrutatur et renes: unde frustra te palpas, quod externa quadam virtutis specie aliquam opinionem viri religiosi apud alios obtines.

2. *Opera tua plena.* Ad plenitudinem requiritur ut opera non tantum sint bona, sed etiam ut fiant bene; Deus enim potissimum rationem habet adverbiorum: vide ergo an tua hactenus feceris pure, prompte, ferventer, alacriter, constanter?

3. *Coram Deo.* Quid coram domino servus, coram paedagogo puer, coram duce miles, coram parente filius? Tune minus coram Deo tuo, qui idem est arbiter et judex, remunerator et vindex?

VIII.

Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? (*Matth.* XXII).

1. Est admirantis impudentiam illius animae quae audet inter convivas ornatos virtute et charitate comparere foeda et sordida, cum nulla excusatio praetexi possit: non ignorantia, cum quotidie nobis in Societate inculcetur, et media commodissima ultro offerantur, ut nec virium neque sumptuum defectum causari possit; neque dicat etiam deesse aliorum exempla, vivit enim in medio eorum qui quotidie praebent rarissima in omni genere virtutis, ut vel hinc merito majorem damnationem timere debeat, ut vidua apud Eliam pro-

testatur: *Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meae, et interficeres filium meum*; et, teste Giliberto, Christus ficui maledixit propter fertiles in vicino vineas.

2. Est exprobrantis tantam ingratitudinem: *Si inimicus meus maledixisset mihi*, etc. Porro hujus ingratitudinis sunt tres species: 1. Retribuere mala pro bonis, peccata pro gratiis. 2. Vituperare beneficium, vocationem parvi faciendo. 3. Beneficium reputare maleficium, existimando carceres esse et catenas voluntariam illam servitutem, cui se subjecit.

3. Quid igitur miramur, tanta impudentia et ingratitudine exacerbatum, Deum praecipere ut *ligatis manibus et pedibus*, etc., cum olim Jechoniae ingrato regi dixerit: *Si fueris ut annulus in manu mea, evellam te a digitis meis?* Haec tibi applica, et nuptiali virtutum vestiri tandem stude.

IX.

Oh si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi! (*Luc.* XIX).

1. *Oh si cognovisses!* Quam deploranda est caecitas hominum opportuna ad salutem remedia non agnoscentium, quandoquidem eam Dei Filius suis lacrymis defleverit! Cognoscunt socii tui beneficium vocationis suae, eoque recte utuntur ad consequendum finem propter quem vocati sunt. *Oh si cognosceres et tu!*

2. *Et quidem in hac die tua*, quae forsitan ultima, aut ex ultimis vitae tuae futura est, aut in qua Deus tibi offert gratiam resipiscendi, et

cujus neglectum forte aeternis lacrymis deplorabis. Elige.

3. *Quae ad pacem tibi:* ut bene et juxta institutum vivendo obtineas pacem internam tecum, per passionum moderationem; pacem externam cum aliis, per obedientiam et humilitatem; pacem supernam cum Deo, per conformationem voluntatis tuae cum illius beneplacito.

X.

Ne velitis dicere intra vos; Patrem habemus Abraham (*Matth.* III).

1. Quam inanis illa Judaeorum gloriatio, ex qua caeteras nationes contemnebant, et arbitrabantur sibi hoc nomen ad salutem sufficere, cum non alienis titulis, sed propriis meritis coelum expugnetur! Sed an minor tua est, quando tibi applaudis quod sis Jesu socius, quod filius Ignatii?

2. Non honori, sed probro est si ignavus miles de ducis virtute se jactitet, et degenerem filium confundit gloria parentis. Si Jesu socius es, illum per paupertatem, contemptum et humilitatem imitare; si Ignatii filius, imitare illius virtutes. *Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite* (Joann. VIII).

3. *Quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.* Tu te illi offer velut lapidem durissimum, et hactenus impolitum, ut illum emolliat et formet ad similitudinem Filii sui, et tui fundatoris Ignatii. Deinde humilia te, cum nihil facias quod non faceret quicumque alter iisdem gratiis adjutus. Denique neminem parvi facias,

cum Deus ex illo saeculari, ex illo Religioso, quem vilipendis, forte suscitaturus sit filium carissimum, te repudiato.

XI.

Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! (*Luc.* XV).

1. Uti in ampla familia plerumque triplex genus subditorum reperitur, mancipia, mercenarii et filii, ita, in Ecclesia et Religionibus, alii metu poenae, alii spe mercedis, alii ex amore sua munia obeunt. Ex quo genere tu hactenus fuisti? an, cum filio prodigo extorre, deseruisti partes filii, mercenarii et mancipii?

2. Mercenarii, etsi deliciis et lautitiis careant, abundant tamen panibus, non solum ad necessariam sustentationem, sed etiam ad vires augendas; multos enim et ad vitanda vitia, et exercendas virtutes stimulat spes tanti praemii, juxta illud: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes in aeternum, propter retributionem.*

3. *Ego autem hic fame pereo.* Ego filius: quis non miretur qui novit Patris benignitatem, etiam in mercenarios profusam? sed quis miretur qui sciverit me in regione longinqua procul a Patre aberrantem? In domo Patris domestica et quotidiana exercitia bene obeuntibus haec abundantia promittitur, non tantum panum, sed etiam aliarum deliciarum. Quare eo redibo, ea exercitia reformare satagam.

XII.

Putruerunt cicatrices meae a facie insipientiae meae (*Ps.* XXXVI).

1. *Putruerunt.* Putredo, praeterquam quod sit patienti molesta et periculosa, etiam vicinis horrorem et nauseam creat a foetore. Ita vita imperfecti Religiosi, praeter incommoda interna et damna propria, domesticos quoque atque externos offendit; et si contingat illum (quod fieri aliquando ad contagionem vitandam necesse est) veluti membrum putridum resecari ejicique, nullo apud externos loco est, sed instar evanidi et ejecti salis ab omnibus conculcatur. Vide ne id tibi acciḋat, quod pluribus scis accidisse.

2. *Cicatrices.* Cogita te vulneribus multis saucium ad Religionem accessisse, ut in ea curareris. Sauciaverat te superbia, avaritia, luxuria, etc.: optimae tibi medicinae oblatae sunt quidem; sed quia eas non recte applicuisti, suprema tantum cutis coaluit, id est, externa quaedam virtutis species inducta, tanto periculosior quanto magis vitium celabat, quod jam passim datis occasionibus se prodit.

3. *A facie insipientiae meae.* Haec insipientia patuit in modo curandi hactenus adhibito, multoque patebit amplius, nisi nunc tandem vulnera ipsosque cicatricum fontes aggrediaris, de externa specie minus quam de interna solidaque sanitate sollicitus, cum ab hac illa pendeat, non e contra.

MEDITATIONES

DE QUINDECIM MYSTERIIS ROSARII

QUAERENDAE FOLIIS CITATIS.

1. De Annuntiatione 40
2. De Visitatione 41
3. De Nativitate Christi 45
4. De Purificatione 58
5. De Inventione Christi 65
6. De Oratione in horto 186
7. De Flagellatione 200
8. De Coronatione 201
9. De Crucis bajulatione 205
10. De Crucifixione 207
11. De Resurrectione 232
12. De Ascensione 247
13. De missione Spiritus Sancti 251
14. De Assumptione Beatae Virginis . . . 263
15. De Coronatione ejusdem 264

Nota in prioribus quinque mysteriis peculiariter reflectendum ad Beatae Virginis gaudium:

In aliis quinque, ad dolorem et compassionem;

In ultimis, ad gloriam ejusdem.

CONSIDERANDA

In Dei beneficiis:

1. Quis beneficium conferat: nempe Deus majestatis et bonitatis infinitae.

2. Cui conferatur: tibi miserae, indignae et ingratae creaturae.

3. Quid: nimirum rem maximam, et quam nisi Deus conferre non potest.

4. Quo affectu: amore scilicet infinito, et ex mera sua bonitate, nullo tuo merito illectus.

5. Quomodo: gratis, nullo suo commodo, aut spe remunerationis.

Hinc sequentur ipsius beneficii aestimatio, gratitudo, amor in benefactorem, et bonus usus ipsius beneficii in gloriam ejus qui contulit.

In regulis et ordinationibus tui Instituti.

Considerare potes: 1. Quid praecipiatur.

2. Quam rationabiliter, quales ob fines, quam honestos, utiles et delectabiles.

3. Quae sint media ad faciliorem hujus regulae observationem; qualiter iis usi sint majores nostri, et quotidie utantur qui vivunt digne vocatione sua, et ad sanctitatem aspirant.

4. Quae difficultates in usu mediorum, et quae impedimenta, etc.

In quocumque munere et officio, similiter attendendum:

1. Quis finis: quam praestans, utilis, delectabilis!

2. Quae media: an multa, an facilia, an proportionata?

3. Quae difficultates mediorum, et impedimenta finis?

Ex quibus sequetur conclusio heroica haec amovendi, et mediis utendi, exemplo Sanctorum et perfectorum.

In historia:

Perpendantur personae, verba seu dicta, gestus et actiones, tum quibus occasionibus et circumstantiis haec dixerint fecerintve; denique quid hic ad instructionem tuam. Porro circumstantiae hoc versiculo continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

In sententia:

1. Quis eam protulerit? 2. Qua occasione? 3. Quis et quotuplex sit illius sensus? 4. An aliquid suadeat, an dissuadeat, an praecipiat, an vetet? 5. Quem fructum hactenus in aliis tuleris, ut ejusdem te reddas capacem?

In virtute:

1. Quam honesta, quam utilis, quam delectabilis sit? 2. Qui in ea excelluerint, et quo fructu in hac vita, qua gloria in altera? 3. Quibus usi

mediis eam consecuti? 4. An et quas difficultates in ejus exercitio experti? 5. Quomodo tu illam exercere velis in posterum?

In vitio:

1. Quam turpe est, a ratione et hominis dignitate alienum, quam damnosum? 2. Quibus poenis tum temporalibus, tum aeternis Deus id in aliis castigarit? et an non aliquando aliquam poenam expertus sis, casu quo eidem vitio sis obnoxius? 3. Quibus occasionibus in id vitium homines prolabantur? 4. Quae sint adversus illud, ipsasque labendi occasiones, remedia? 5. Quomodo deinceps illud velis expiare, vincere, declinare?

Media generalia actiones bene faciendi.

1. Ut fiant in Deo, id est, ut operans sit in gratia et charitate Dei constitutus; aliter enim opera vitae aeternae meritoria esse non possunt: quare consultum iis omnibus praemittere serium actum contritionis.

2. Ut fiant propter Deum, seu ex pura intentione illi placendi ejusque gloriam amplificandi: quae intentio non tantum operi praemittatur, verum etiam inter operandum subinde renovetur, ne paulatim incipiamus nos nostraque commoda, aut propriam gloriam spectare.

3. Ut fiant coram Deo, seu tanquam eo visibiliter praesente, quemadmodum revera praesens, et arbiter est omnium nostrarum actionum. Et ad hanc Dei praesentiam sibi imprimendam sufficit actus fidei, qua credimus Deum immensum et ubique adesse.

4. Ut fiant cum Deo, seu ad imitationem exemplaris nostri Christi Domini, quem similia agentem vel patientem nobis proponemus, et in quorum unione nostra offeremus Deo Patri. Si vero contingat nos aliquid agere quod Christus non egit, aut agere non potuit, eo quod praesupponat aliquam imperfectionem, uti est discere, peccata sua deflere, etc., cogitemus quam perfecte id fecisset, si per impossibile illi fuisset obnoxius, etc.

5. Ut unaquaeque fiat quasi ea sola nobis esset peragenda, juxta vetus dictum: «Age quod agis.» Quare, donec hanc peregerimus, excludamus omnem aliarum curam et sollicitudinem in tempus illis assignatum, ad quod juvabit etiam omnes actiones suas habere bene prudenterque distributas.

6. Ut quamcumque actionem faciamus velut post illam statim morituri, et rationem Deo reddituri; stimulemusque nos hac consideratione, quod si haec ultima foret vitae meae, qualiter illam fecisse vellem? et quidni ultima sit, cum sim mortalis, et incertus quo sim momento moriturus?

7. Post opus proderit brevis aliqua reflexio et examen, ut, si quid negligentiae, vel respectus humani, vel proprii commodi et amoris, vel vanitatis sese insinuaverit, detesteris et deinceps cavere decernas; si vero bene peractum sit, Deo gloriam et grates deferas, eademque agenti ratione in posterum utaris.

Media generalia ad extirpationem vitiorum.

1. Mature vitium illud oppugnandum deligatur quod tibi molestissimum est, et quasi radix aliorum, aut quo maxime proximus offenditur.

2. Ne plura simul vitia, imo ne unico quidem totum aggrediaris, sed illud in suos actus partes que divide, et singillatim oppugna.

3. Concipe ingens desiderium illud extirpandi, considerando tu commoda quae ex illius extirpatione tibi proveniunt, tum gloriam quae Deo, gaudium quod Angelo Custodi, bonum exemplum quod proximo, confusionem quae daemoni ex ista tua victoria accedet.

4. Ut desiderium fiat efficax, mane praevide occasiones quae tibi eo die occurrere possunt istud vitium oppugnandi; propone viriliter decertare, implora Dei, beatae Virginis, Angeli et Patroni ad hoc delecti auxilium.

5. Ut consulas humanae fragilitati, quae victoriam desperat longa et difficili pugna obtinendam, vota tua et proposita non ultra diem aut etiam dimidiatum extendas. Si enim eo die aut saltem horis aliquot abstinere eo vitio potueris, quidni horis alteris et die altero? modo propositum tuum post tempus pugnae exactum semper iteres.

6. Oblata pugnandi occasione, sive ea praevisa sit, sive non, te recollige, et, revocatis in memoriam argumentis quae vincendi desiderium in te excitarunt, et praecipue quod unica fortassis haec pugna ad perfectam expugnationem et victoriam suffectura sit, generose te exerce.

7. Si in pugna succubueris, ne despondeas animo, sed post actum humilitatis et diffidentiae tui ipsius, et veniae postulationem, resume vires a confidentia in Deum, et novo fervore hostem adoriaris.

8. Si reipsa occasiones non offerantur, finge tibi hostem, et imaginario bello virtutem tuam

explora. Valet enim haec exercitatio plurimum ad firmandas animi vires.

9. Ne desistas a pugna, vel alium tibi hostem, aliudve vitium tibi proponas, priusquam hoc bene debellaveris, aut saltem ita domueris ut tibi singularem molestiam non facessat.

10. Ut pleniorem tui profectus notitiam habeas, nota quotidie numerum, non solum victoriarum tuarum, verum etiam casuum, et sequentes cum antecedentibus et cum casibus victorias compara. Si enim hae multum illos excesserint, certissimum profectus indicium est, maxime si pares semper, multoque magis si posterioribus temporibus occasiones pugnandi fuerint frequentiores.

Ad implantationem virtutum.

Similis est procedendi modus: si quando illic fit pugnae victoriaeque mentio, hic intelligatur propositum datae virtutis actum exerceri debere.

Ad acquirendam conservandamque internam pacem.

1. Stude alterius potius facere voluntatem, quam tuam.

2. Elige semper minus, quam plus habere.

3. Quaere semper inferiorem locum, et omnibus subesse.

4. Opta semper et ora, ut voluntas Dei integre in te fiat.

A. M. D. G.

INDEX

—

MEDITATIONES PRAEVIAE

Meditatio		*Pag.*
I.	— De Beatitudine Sanctorum . . .	1
II.	— De mediis ad eum finem perveniendi . .	2
III.	— De necessitate Meditationis . . .	3
IV.	— De utilitate et fructu ejusdem . . .	4
V.	— De jucunditate Meditationis . . .	5
VI.	— De praxi ejusdem	6

VIA PURGATIVA

MEDITATIO PRAEVIA

ET FUNDAMENTUM OMNIUM

Meditatio		*Pag.*
I.	— De fine hominis	9
II.	— De mediis ad finem illum consequendum .	10
III.	— De fine vocationis tuae	11
IV.	— De peccato Luciferi, Adami et aliorum .	12
V.	— De peccatis propriis	14
VI.	— De gravitate peccati ex vilitate peccantis .	15
VII.	— De gravitate ex Dei offensi excellentia .	16
VIII.	— De gravitate ex poenis	17
IX.	— De peccato veniali	*ibi*
X.	— De Morte	18
XI.	— De judicio particulari	19
XII.	— De cadavere, ut est imago hominis mortificati	*ibi*
XIII.	— Memento, homo, quia pulvis es, etc. . .	20
XIV.	— De signis Judicii universalis . . .	21
XV.	— De Resurrectione corporum . . .	*ibi*
XVI.	— De sententia Judicis	22
XVII.	— De Inferno	*ibi*
XVIII	— De poena sensus et damni	23
XIX.	— De Purgatorio	24
XX.	— De Superbia	*ibi*

Meditatio		Pag.
XXI.	— De Gula	25
XXII.	— De Luxuria	26
XXIII.	— De Avaritia	*ibi*
XXIV.	— De Ira	27
XXV.	— De Invidia	28
XXVI.	— De Acedia	*ibi*
XXVII	— De Sensibus	29
XXVIII.	— De Potentiis internis	30
XXIX.	— De Examine Conscientiae	*ibi*
XXX.	— De Examine particulari	31
XXXI.	— De Confessione	32
XXXII.	— De Missa et Communione	*ibi*

VIAE ILLUMINATIVAE

PRIMA PARS

DE INFANTIA CHRISTI DOMINI

Meditatio		Pag.
I.	— De duobus vexillis	34
II.	— De decreto Incarnationis	35
III.	— De Charitate Dei et fine Incarnationis	36
IV.	— De Electione Matris	*ibi*
V.	— De Immaculata Conceptione	37
VI.	— De Nativitate	38
VII.	— De Praesentatione	39
VIII.	— De Desponsatione	*ibi*
IX.	— De Annuntiatione	40
X.	— De Visitatione	41
XI.	— Super *Magnificat*	42
XII.	— De Nativitate Praecursoris	*ibi*
XIII.	— De sollicitudine S. Josephi	43
XIV.	— De expectatione partus	44
XV.	— De profectione in Bethleem	45
XVI.	— De Nativitate Christi	*ibi*
XVII.	— Annuntiatur Pastoribus	46
XVIII.	— De eodem	47
XIX.	— De adoratione Pastorum	48
XX.	— Applicatio sensuum	49
XXI.	— De vario affectu hominum in hoc mysterio	*ibi*
XXII.	— De Circumcisione	50
XXIII.	— De triplici effusione Sanguinis Christi	51
XXIV.	— De impositione Nominis Jesu	52
XXV.	— Cur id sanctissimum Nomen Societati nostrae impositum	*ibi*
XXVI.	— De apparitione Stellae	53
XXVII.	— De Magorum inquisitione	54
XXVIII.	— De turbatione Herodis	55
XXIX.	— De inventione et adoratione	56

Meditatio		*Pag.*
XXX.	— De tribus votis	57
XXXI.	— De reditu Magorum	*ibi*
XXXII.	— De Purificatione	58
XXXIII.	— De Simeone et Anna	59
XXXIV.	— De fuga in Aegyptum	60
XXXV	— De bono Obedientiae	61
XXXVI.	— De caede Innocentium	62
XXXVII.	— De reditu ex Aegypto	63
XXXVIII.	— De Christo duodecenni in Templo	*ibi*
XXXIX.	— Christus quaeritur	64
XL.	— De inventione Christi	65
XLI.	— De vita Christi usque ad annum 30	66

VIAE ILLUMINATIVAE

SECUNDA PARS

DE PRAEDICATIONE CHRISTI

Meditatio		*Pag.*
I.	— De vitae mixtae excellentia	68
II.	— De vita Praecursoris	69
III.	— Continuatio	70
IV.	— De Legatione ad S. Joannem	*ibi*
V.	— De Baptismo Christi	71
VI.	— De secessu in desertum	72
VII.	— De tentatione Christi	73
VIII.	— Testimonium Joannis de Christo	74
IX.	— De Vocatione Apostolorum	75
X.	— De modis sequendi vocationem	76
XI.	— De Nuptiis in Cana Galilaeae	77
XII.	— Continuatio	78
XIII.	— De ejectis e templo	79
XIV.	— De Nicodemo	80
XV.	— De altero Joannis testimonio	81
XVI	— De Samaritana	82
XVII.	— De piscatione Petri	83
XVIII.	— De Leproso mundato	*ibi*
XIX	— De sedata tempestate	84
XX.	— De Paralytico sanato	85
XXI.	— Christus se et Discipulos tuetur	86
XXII.	— De secessu in montem	87
XXIII.	— De Sermone ibidem habito	88
XXIV.	— De prima Beatitudine	89
XXV.	— De secunda Beatitudine	90
XXVI.	— De tertia Beatitudine	91
XXVII.	— De quarta Beatitudine	*ibi*
XXVIII.	— De quinta Beatitudine	92
XXIX	— De sexta Beatitudine	93

Meditatio		*Pag.*
XXX.	— De septima Beatitudine	94
XXXI.	— De octava Beatitudine	95
XXXII.	— De triplici qualitate virorum apostolicorum	96
XXXIII.	— De perfectione evangelica	97
XXXIV.	— Continuatio	98
XXXV.	— De fuga vanae gloriae	99
XXXVI.	— Continuatio	100
XXXVII.	— De minuenda cura rerum temporalium	101
XXXVIII.	— De vitando temerario judicio	102
XXXIX.	— De Oratione	103
XL	— Pater noster, qui es in Coelis	104
XLI.	— Sanctificetur nomen tuum	105
XLII.	— Adveniat regnum tuum	106
XLIII.	— Fiat voluntas tua, sicut, etc.	107
XLIV.	— Panem nostrum quotidianum, etc.	108
XLV.	— Dimitte nobis debita nostra, etc.	109
XLVI.	— Et ne nos inducas in tentationem	110
XLVII.	— Sed libera nos a malo	111
XLVIII	— De servo Centurionis	112
XLIX.	— De filio Viduae	113
L.	— Reprehensio trium hominum, etc.	114
LI.	— De ejecta legione Daemonum	115
LII.	— De filia Jairi resuscitata	116
LIII.	— De Hemorrhoissa	117
LIV.	— De missione Apostolorum	118
LV.	— Prosecutio	119
LVI.	— De legatione S. Joannis	120
LVII.	— De laudibus S. Joannis	121
LVIII.	— De conversione Magdalenae	122
LIX.	— De suavi jugo Christi	124
LX.	— De Saucio et Samaritano	125
LXI.	— De sanata manu arida	126
LXII.	— De Daemoniaco caeco et muto	127
LXIII.	— De prandio Pharisaei	128
LXIV.	— De parabola seminantis	129
LXV.	— De Zizaniis	130
LXVI.	— De grano sinapis	131
LXVII.	— De thesauro et margarita, etc.	132
LXVIII.	— De filio Reguli	133
LXIX.	— De sanato ad Piscinam probaticam	134
LXX.	— De decollatione S. Joannis	135
LXXI.	— De multiplicatione panum	136
LXXII.	— De ambulante super mare	138
LXXIII.	— De Chananaea	139
LXXIV.	— De Confessione Petri	140
LXXV.	— De Cruce ferenda	141
LXXVI.	— De Transfiguratione	143
LXXVII.	— Continuatio	144
LXXVIII.	— De lunatico sanato	145

Meditatio		*Pag*
LXXIX.	— Commendatur humilitas, et scandala prohibentur	146
LXXX.	— De Ove perdita	147
LXXXI.	— De Filio prodigo	148
LXXXII.	— De debitore decem millium talentorum	150
LXXXIII.	— De Villico iniquitatis	151
LXXXIV.	— De decem Leprosis	152
LXXXV.	— De Epulone et Lazaro	153
LXXXVI.	— De bono Pastore	154
LXXXVII.	— De Operariis in vinea	155
LXXXVIII.	— De praedictione Passionis	156
LXXXIX.	— De Filiis Zebedaei	157
XC.	— De Caeco apud Jericho	158
XCI.	— De Zachaeo	159
XCII.	— De Pharisaeo et Publicano	160
XCIII.	— Lazarus resuscitatur	161
XCIV.	— De Coena in Bethania	162
XCV.	— De ingressu Christi in Jerusalem	163
XCVI.	— De fletu Christi	164
XCVII.	— De Vinea	165
XCVIII.	— De nuptiis et coena magna	166
XCIX.	— De numismate census	167
C.	— Reprehenduntur Pharisaei	168
CI.	— Praedictio desolationis	169
CII.	— De signis extremi Judicii	171
CIII.	— Exspectandum Judicium	*ibi*
CIV.	— De decem Virginibus	172
CV.	— De Talentis	173
CVI.	— De extremo Judicio	174

VIAE ILLUMINATIVAE

TERTIA PARS

DE PASSIONE CHRISTI

Meditatio		*Pag.*
I.	— De Agno Paschali	176
II.	— De Lotione pedum	177
III.	— De institutione venerabilis Sacramenti	178
IV.	— Insinuatur proditor	179
V.	— Christus venditur	180
VI.	— Contentio Apostolorum et praedictio scandali	181
VII.	— Ex sermone Christi	182
VIII.	— Prosecutio	184
IX.	— Iter ad hortum, et tristitia	185
X.	— Oratio in horto	186
XI.	— Osculum Judae	187
XII.	— Comprehensio	188

Meditatio		Pag
XIII.	— De gestis apud Annam	190
XIV.	— De negatione Petri	191
XV.	— De gestis apud Caipham	192
XVI.	— Continuatio	193
XVII.	— Judae desperatio	194
XVIII.	— De gestis apud Pilatum	195
XIX.	— Continuatio	197
XX.	— Mittitur ad Herodem	198
XXI.	— Postponitur Barabbae	199
XXII.	— Flagellatur	200
XXIII.	— Spinis coronatur	201
XXIV.	— Ecce Homo	202
XXV.	— Damnatur ad Crucem	203
XXVI.	— Bajulat Crucem	205
XXVII.	— De gestis in monte Calvario	206
XXVIII.	— De Crucifixione	207
XXIX.	— Prosecutio	208
XXX.	— Divisio vestium, et blasphemiae	209
XXXI.	— De primo verbo Christi	210
XXXII.	— De secundo verbo Christi	212
XXXIII.	— De tertio verbo Christi	213
XXXIV.	— De quarto verbo Christi	214
XXXV.	— De quinto verbo Christi	215
XXXVI.	— De sexto verbo Christi	216
XXXVII.	— De septimo verbo Christi	*ibi*
XXXVIII.	— De prodigiis post mortem Christi	217
XXXIX.	— De lateris apertione	218
XL.	— Depositio de Cruce	219
XLI.	— De sepultura Christi	220
XLII.	— De sollicitudine Beatae Virginis	221
XLIII.	— Repetitio secundum circumstantias. — Qui patiatur?	222
XLIV.	— Pro quibus?	223
XLV.	— A quibus?	*ibi*
XLVI.	— Quid?	224
XLVII.	— Cur?	225
XLVIII.	— Quomodo?	226
XLIX.	— Statio in horto	227
L.	— Statio apud Annam	228
LI.	— Statio apud Caipham	*ibi*
LII.	— Statio apud Herodem	229
LIII.	— Statio ad Pilatum	230
LIV.	— Statio in monte Calvario	*ibi*

Meditatio		*Pag.*
XXXVI.	— De Providentia in reparatione hominis per Christum	303
XXXVII.	— De Providentia in fundatione Ecclesiae	304
XXXVIII.	— De Providentia in vocatione ad fidem	305
XXXIX.	— De Providentia in Sacramentorum institutione	306
XL.	— De sacramento Eucharistiae	307
XLI.	— Cur sub speciebus panis et vini	308
XLII.	— De Eucharistia ut est memoriale mirabilium	309
XLIII.	— De Eucharistia, ut est memoriale Passionis	310
XLIV.	— De Eucharistia, ut est signum et causa gratiae	311
XLV.	— De Eucharistia, ut est pignus futurae gloriae	312
XLVII.	— Eucharistiam esse scholam virtutum	313
XLVI.	— Eucharistiam esse speculum divinarum perfectionum	314
XLVIII.	— De Providentia Dei in assignatione status	316
XLIX.	— De Providentia Dei circa statum Religiosum	317
L.	— De bono statu Religiosi	318
LI.	— De electione Sanctorum ad gloriam.	319
LII.	— Quomodo Sancti huuic electioni responderint	320
LIII.	— De magnitudine gloriae coelestis	321
LIV.	— De gloria animae beatae	322
LV.	— De gloria corporis beati	323

RENOVATIO

[illegible] INITIUM CUJUSQUE MENSIS INSTITUENDA.

Universim considerentur:

		Pag.
I.	Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives (Is. XXXVIII)	326
II.	In terra Sanctorum iniqua gessit: non videbit gloriam Dei (Jer. XVIII)	*ib*
III.	Dixi: Nunc coepi; haec mutatio dexterae Excelsi (Psal. LXXVI)	327
IV.	Jam securis ad radicem posita est (Matth. III)	328
V.	Succide arborem, ut quid etiam terram occupat? (Luc. XIII)	*ibi*
VI.	Terra venientem super se bibens imbrem, producens autem tribulos et spinas, reproba est, et maledicto proxima (Hebr. VI)	329
VII.	Non invenio opera tua plena coram Deo (Apoc. II)	330

Meditatio *Pag.*
VIII. Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? (Matth. XXII) 330
IX. O si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi! (Luc. XIX) 331
X. Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham (Matth. III) 332
XI. Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! (Luc. XV) . 333
XII. Putruerunt cicatrices meae a facie insipientiae meae (Ps. XXXVI) 334

Meditationes de quindecim mysteriis Rosarii.

Consideranda.

Pag.
In Dei beneficiis 336
In regulis et ordinationibus tui Instituti . . . . *ibi*
In quocumque munere et officio 337
In historia . . . . . *ibi*
In sententia . . . . . *ibi*
In virtute . . . . . *ibi*
In vitio 338
Media generalia actiones bene faciendi . . . . *ibi*
Media generalia ad extirpationem vitiorum . . . 339
Ad implantationem virtutum 341
Ad acquirendam conservandamque internam pacem . *ibi*

MEDITATIONES

IN DOMINICAS ET FESTA TOTIUS ANNI

Pag.
Dominica I Adventus . . . . . 21 *vel* 171
Dom. II 163
Dom. III 120
Dom. IV . . . . . 44 *vel* 70
In festo Nativitatis et seq. 46
In festo Circumcisionis et seq. 50
In festo Epiphaniae et seq. 54
Dom. II 77
Dom. III . . . . . 83 *vel* 112
Dom. IV 84
Dom. V 130
Dom. VI 131
Dom. Septuagesimae . . . . . 155 *vel* 165
Dom. Sexagesimae 129
Dom. Quinquagesimae 210
Dom. I Quadragesimae . . . . . 71 *vel* 78
Dom. II 139
Dom. III 127

	Pag.
Dom. IV	136
Dom. Passionis	14
Dom. Palmarum	163
Dom. Resurrectionis	232
Dom. I post Pascha	240
Dom. II	139
Dom. III	166
Dom. IV	251
Dom. V	103
In festo Ascensionis	247
Dom. Pentecostes	249
Dom. Trinitatis et seq.	273
In festo Corporis Christi et seq.	307
Dom. II post Pentecosten	153
Dom. III	166
Dom. IV	147
Dom. V	102
Dom. VI	83
Dom. VII	97
Dom. VIII	136
Dom. IX	106
Dom. X	151
Dom. XI	164 *vel* 331
Dom. XII	160
Dom. XIII	127
Dom. XIV	125
Dom. XV	152
Dom. XVI	299
Dom. XVII	113
Dom. XVIII	280 *vel* 281
Dom. XIX	70 *vel* 279
Dom. XX	85
Dom. XXI	111
Dom. XXII	133
Dom. XXIII	150
Dom. XXIV	167
Dom. XXV	117
Dom. XXVI	169
Dom. XXVII	174

246.731
C986

48143

CUVELHIER, S. J., MICHAEL

AUTHOR

Meditationes Brevissimae In Usum

TITLE Sacerdotum, Religiosorum,
Missionariorum Iter Agentium.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
10-15-60	ARAOZ	
	STORAGE - CRPL	

48143